



卷之五





Microfilm


IC

~~B. P. P. P. C. de Paris~~

24.6.1917 - 6



0
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16



Microfilm

IC

~~B. Dr. Roque Gómez de Arellano~~

~~27.6.10 7-5~~



... PETRUS VENOSUS ORT. A.
... quibusdam sicuti etiamq; amicis condescendit
... etiam auctoritate, etiamq; etiamq; etiamq;
... etiamq; etiamq; etiamq; etiamq; etiamq;

2 4 1 1 3

ANTVERPIAE
EXCVDEBAT CHRISTOPHO-
RVS PLANTINVS, ARCHI-
TYPOGRAPHVS REGIVS,
ANNO CI. IC. LXXXI.

M E N S E I V N I O.



6

(6)

IO. ANTONII
VIPERANI,
IN
M. T. CICERONIS
DE
OPTIMO GENERE ORATORVM;
COMMENTARIUS.



ANTVERPIÆ,
Ex officina Christophori Plantini,
Architypographi Regij.

M. D. LXXXI.



i 11804178

S V M M A P R I V I L E G I I .

R E G I S Priuilegio cautum est, ne quis
citra Christophori Plantini Architypogra-
phi Regij voluntatem *Io. Antonij Viperani*
opera, intra octennium à die impressionis
absolutæ, imprimat, aut alibi impressa im-
portet, venaliæ habeat intra omnes ditio-
nis eius fines. qui secus faxit, pœna multa-
bitur quæ expressa est in regio diplomate,
dato Bruxellæ 20. Martij, M. D. L X X V I.

Sign.

Iac. Blyuen.

3

IO. ANT. VIPERANI
IN M. T. CICERONIS
DE OPTIMO GENERE
ORATORVM, COMMENTARIUS.

CVM auditorum opinione laus eloquentiae continetur; nam qui probari volunt, orationem format ad eorum, qui audiunt, voluntatem; certe id genus dicendi maxime laudandum est, quod eorum commendationem habet, quorum prudens est sincerumq; indicium, nihil ut possint nisi incorruptum & elegans audire: quale Atheniensium fuit; ita ut qui benedicerent, Atticè dicere crederentur. Nam abundantia vitiosa Asiacorum fuit, & concisa breuitas Spartarum; aliis quoque nationibus apta quedam & conueniens suis auribus & ingenio dictionis nota placuit; incorrupta vero sanitas & excellens orationis forma Atticorum est propria: qui praeteris habentes aures teretes & religiosas, atque intelligens sapientiū indicium veram & perfectam eloquentie speciem cognoverunt. Ceterum M. Tullius (& quidem inuidiae facibus inflammata sunt omnia) cum tanquam Asiaticus morderetur ab iis, qui Atticorum eloquentiam sua tenuitate & siccitate metiebantur, ut illorum insaniam præstantissimorum Oratorum auctoritate coargueret, Æschinis & Demosthenis inter se contrarias ac longè optimas orationes conuerit: quarum videlicet exemplo aperte intelligerent Attici esse orationem ad id quocunque decet accommodare, & humilia subtiliter, magna grauiter, mediocria temperate dicere: alioquin si ornate grauiter & copiosè dice-re non est Atticorum, ne Æschines quidem & Demo-

Isthenes Attici fuerunt; cum iidem grauter & ornate
uxerint. Sed priusquam orationum argumenta ex-
plicaret & causam, quae in iudicium ducta est, paucis
de optimo genere Oratorum & absoluta eloquentia for-
ma differuit, quo perfecti Oratoris facies ab iis cernere-
tur, qui Attici, hoc est, excellentes atque optimi Orato-
res dici volebant: quam quidem pluribus in Oratore
ad Brutum expressit. Et quoniam cuiusq[ue] rei quedam
est forma, quam ideam Plato vocat, quae nullo sensu
percipitur, cogitatione tantum & mente comprehenditur;
Oratoris quoque sua est species & quasi figura;
quam doctissimi viri animo quidem viderunt, sed in
nullo confixerunt. Siquidem perfectionem ipsam re-
rum ob imbecillem humanae naturae conditionem ase-
qui non possumus: verum hoc magis quisque alii ex-
cellit, quo magis ad eloquentiae perfectam speciem vim-
suam accommodat. Atq[ue] vt poëta cum alicuius ducis
personam fingunt, Imperatoris egregiam formam, que
in animo insidet, contemplantur, ad cuius similitudi-
nem actiones illius referunt; vtq[ue] etiam Poëtis affines
pictores pulchram aliquam mulierem depingentes ad
excogitatam pulchritudinis speciem artem & manum
dirigunt; sic boni Oratores eloquentiae figuram ante o-
culos sibi proponunt, ad quam dictio[n]em suam deducunt.
Quare non est intelligentis hominum facultate non il-
larum virtute rerum præstantiam circumscribere; nec
quid in re optimum sit querere, sed quid in homine sit
dicere; & rem unam genere ex hominum ingenis &
dissimilitudine in plures formas distinguere. Itaque
prudenter Cicero primùm docet eloquentia unum &
perfectum genus esse, non in plures formas secari, sicut
poëtica in plures species certis propriisq[ue] differentiis
inter se disiunctas secernitur; deinde quale illud sit ac
cui

cui simile demonstrat; postremò de sé ipso paucā & modestè differit, ac simul causam reddit cur duorum præstantissimorum Oratorum orationes conuerterit, & quo pariter modo ac ratione in Latinum transtulerit ostendit. Inquit igitur:


Oratorum genera esse dicuntur tanquam poëtarum, id secus est.

Genus pro specie sive forma sàpè dicit Cicero, atque etià interdum Aristoteles; quoniam ab ipsa quoq; forma tanquam à capite res plures deducuntur. Licet q; Orator poëta finitimus sit & verborum ornamentis, & numerorum concinnitate, non tamen, vt poëtarum sunt inter se natura & ri distinctæ ac perfectæ formæ, sic etiam sunt Oratorum; cùm eloquentia sit una tantum absoluta & perfecta figura. Nec me fugit vel ipsummet Ciceronem in Oratore, quem ad Brutum scriptis, affirmasse totidem Oratorum genera reperiri, quot orationum esse dixerat; sed cùm Oratorum genera dixit, non addidit ut poëtarum, hoc est, quod quis vel tenuitate sola, vel grauitate, vel mediocritate orationis perfecti Oratoris nomen & laudem consequatur, quemadmodum poëtarum in suo quisque genere perfectus esse ac iure dici potest: verum Oratorum genera dixit, quod vimirum in singulis dicendi generibus aliqui floruiscent. Quare aliter Poëtarum, & Oratorum genera sese habent.

Nam alterum est multiplex.

Eorum enim, quæ hic conferuntur, alterum genus, poëma inquam (neq; enim relatiū nomen antecedentis terminationem semper, sed interdum vim & significacionem respicit) in plures inter se differentes species dividitur. Hoc equidem significat multiplex esse.

Poëmatiſ enim Tragici, Comici, Epici, Melici



etiam, ac Dithyrambici, quod magis est tractatum à Latinis, suum quoduis est diuersum à reliquis.

Poëma nomen Gracum est à totū deriuatum, quod
rum facere, tum fingere significat: unde & factores &
fictores tum verborum, tum rerum poëta vocantur: ve-
runtamen qui humanas actiones imitatur, & illas ex-
plicat versu, tum ab orationis, tum à rerum praestantia
poëta à rōvōus appellatur. Eius fictio poësis dici-
tur, opus vero poëma, id inquam, quod factū, effectum-
ue est: sed & poësis sāpē pro poëmate, & pro poësi poëma
accipitur. Qui vero poëma vel paruum aliquod opus
poëte, vel particulam quandam poësis esse putat, non
satis probatur, cūm Ilias Homerī à doctissimis viris
poëma nuncupetur. Esse autem poëticæ plures formas
clarum est: sed quicquid dissimilitudine carminum poë-
sim in plura genera secant, vim eius nullam attingunt:
nempe cuius forma, & (ut loquitur Aristoteles) anima
sit fabula, scilicet humanarum actionum imitatio. Re-
ctius à laudatione & vituperatione poëtarum genera
deduxeris: quandoquidem poëta est humanarū action-
um imitator; humanae autem actiones aut bona sunt
& laudabiles, videlicet quae à virtute profiscuntur;
aut mala & vituperanda, que cum vitiis coniuncte
sunt. Ex laudatio genere primum melici extiterūt,
qui Deorum, virorum, & heroum precatio[n]es & lau-
des ad lyram concinebant: maximè vero Bacchi numen
& virtutes celebrabant; à quo dithyrambici vocati sunt;
quoniam ille dithyrambus, quasi bis natus, atq[ue] e duo-
bus locis, è Semeles inquam ventre, & Iouis femore
ortus diceretur. Ex hoc eodem genere Epici emanarūt,
qui illustrum virorum res bene gestas sine villa saltatione
& harmonia solo carmine hexametro utentes ex-
plicant. Ex melicis sine dithyrambiciis profecti sunt
tragici,

In De Poëti-
ca.

tragici, qui sicutis personis agenda omnia committunt,
Nam cum primum Bacchi de regibus victorias per
gentes personas in scena referre consueissent, in alio-
rum deinde regum calamitates iuere, inducta forma
graniore, & aucto numero personarum, & inuenio loci
ornatu, & scena cultu commodiore. Quapropter Ari-

In De Poëti-
ca.

stoteles à dithyrambica natā esse tragœdiam affirmat.
Ex illo altero ad reprehendendum comparato genere
profecta est comœdia primum vetus illa, in qua licebat
omnes vel nominatum vellicare: cui ob nimiam male-
dicendi licentiam media, ac postremo media noua suc-
cessit captans vndiq, iocos & risus, ac sublato penitus
choro, penes quem erat ista maledicendi licentia. Itaq;
poëtica in hac genera Epicum, Tragicum, Comicum,
& Melicū dividitur: quod à lyræ suavitate, ad quam
accinebatur, etiam lyricum nominatum est. Aristoteles
hoc genus à præstantioris Dei landibus dithyrambicū
vocabat, aut quia maior imitatio in eo cerneretur: &
quidem (si Zetzi credimus) olim dithyrambici iidem
erant cum melicis aliquanto tamen altiores: at Cicero
melicum à dithyrambico propter illius fortè orationis
tumorem & grauitatem separauit. Ne autem crede
illis verbis Aristotelis, τὸν ἀντιοῦντα πλείστην καὶ κύρια-
πισκόν, melicā poësim notari, sed quandā musicā imita-
tionē affinē poëtica, quæ vel cithara sono fit, vel tibia, nō
cuiuscunq, sed eius, quæ ad imitandū idonea est. siquidē
istā specie imitationis ipsemēt Aristoteles carminis ex-
pertē esse inquit, at qui nulla poësis expers est carminis.
Declarata poëtica diuisione, cuiusque generis natura
paucis explicanda nunc est: nimirum quæ sit cuiusq, no-
tatio, materia, & dictio, quam Graci λέξιν appellant.

In De Poëti-
ca.

Tragici] Tragœdia dicta est quasi τράγου φύση, quod
hincus, Græcè τράγος, victori daretur; unde Horatius:

In arte Poë-
tica.

Carmine qui tragicō vilem certauit ob hircum;
vel quod primum esset uter hirci musto plenus; vel ab
ipso vino, quod τρύγος olim vocabatur; vel quia scenici
ante personarum usum ab Æschilo repertum oracula
cibus, τρύγοι Græce dicuntur, perlinebant; unde etiam
scripsit Horatius:

Ibid.

Ignotum tragicæ genus inuenisse Camenæ
Dicitur, & plaustris vexisse poëmata Thespis,
Quæ canerent, agerentq. peruncti fœcibus ora.
vel sic dicta, quod τραχείας ὡδῶν, hoc est, asperos cantus
habeat. nam tragœdia in exprimendis regum calamiti-
tibus potissimum versatur: & licet prius res secundas
etiam habuisset, tamen ubi in terrorem & commisera-
tionem se totam intendit, nisi principum calamitates
& infortunia complecti noluit. Hinc quondam Euripi-
pides à rege Archelao rogatus, ut de se tragœdiam scri-
beret, abnuisse dicitur, ac Deos precatus, ne ipsi regi a-
liquid accideret, quod esset proprium tragœdia. Itaq.
nonnulli tragœdiam esse finierunt heroica fortuna in
malis comprehensionem. Eius dictio tota grauis est, or-
nata figuris, plena sententiis: que metrum iambicum,
sibi aptauit; quod alternis sermonibus maximè idoneum
esset, ac natum (ut Horatius loquitur) rebus agendis.
Nā in iambis minor est sonus, minūsue sentitur, quiq.
in orationem sponte nec accessiti frequentes adueniunt.

Comici] comediam vel ἀπὸ τοῦ νόμου θέατρον, hoc est, à
sopore, quod somni tempore actitaretur; vel à νομάζεται
ἐν ταῖς ὁδοῖς, quod est in viis lascivia efferri, & in alios
maledicta torquere ac se inuicem carpere, vel à νομάζεται
ὑπὸ δεινοῦ, hoc est post comediam canere; vel ἀπὸ τῆς
νομῆς, id est, vico dictam existimat, quod in vicis prius
ageretur, quam suisset in urbem illata: quin etiam om-
nes fabule dramaticæ, quæ per agentes personas in
scenis

In arte poë-
tica.

scenis fiunt, hoc ipso nomine designabantur. Ei materialiter prabent res priuatae & ciuiles, quarum secundus est exitus. unde finitur id iōnēv ἡ τοπικὴ οἰαγμάτων ἀλινδυρῷ τερποχῷ, hoc est, ciuilis & priuata fortuna (sic enim Latinorum quidam finiunt) in bonis comprehensio. & cūm priuata maledictis gauderet (ut anteā diximus) postmodum subtata maledicendi licentia totam se ad iocos & sales conuertit. Quare eius oratio gracilis brevis ac saepe concisa est, & quam paucissimis distincta sententiis, atque illis qua ad vulgariū hominum opinionem accommodatae, & in frequentiore usu, & in communione vita positae sunt. Ut situr vero metro iam bico eandem ob rationem, ob quam illud acceptū à tragedia fuisse recensuimus. Proinde Horatius:

In arte poētice.

Hunc socii cepere pedem, grandesq. cothurni

Alternis aptum sermonibus, & populares

Vincentem strepitus, & natum rebus agendis.

Tamen Latina pedes dissoluit, ne aut harmonia siue concinnitas maior, quam tenuiorum sermones & colloquia deceat, sentiatur, aut gravitas villa carminis suspecta sit: ni Latinorum desidia & incuria id factum dicamus. Admittit quicquidq. trochaicum, quoniam est interuallis iambus par. Nolim te interim lateat per soccos notari comœdia, per cothurnos vero tragœdiam. Nam focus erat humile quoddam genus calceamenti, quo pedi reticulis alligato comœdi, nimirum actores comœdia utebantur: cothurnus vero calceamenti genus (ut aliqui tradunt) supposito subere altum, quod tragœdi pedum suris vinculum gestabant.

Epici] ut à tragœdia tragicis, & à comœdia comicis, sic ab epopœia epicis nominantur. Epopœia vox est ab εποει & ωντιν composita: εποει modo verbum, modo carmen. ωντιν nunc facere, nunc singere significat: unde

A s epopœia

epopeia tam verborum carminum compositionem, quam omnem imitationem vel soluta oratione, vel metris expressam designat. quare tum dialogorum compositores, tum omnes poëta ipsa generali vocis significatione possunt epic vocari. Sed carmen hexametrum propter grauitatem & maiestatem ipsum generale nomen arripuit; & hexametri carminis conditores epic nominati sunt. Ac verò etiam hexametrum carmen heroicum nuncupatum est, quod eores gesta ab heroibus & regibus grauiter scriberentur. Sed neque omne hexametrum heroicum est, verum quod habet grauem gravitatem rerum conuenientem dictinem, electis verbis & illustribus ornatam, verborumq; apta compositione sonoram. Neq; solum proprium rerum, quas tractat, gravitatem epopeia hexametrum elegit, quoniam altum, grande, stabile, ac longiore uocis ambitu consonantius esset, verum etiam quod longa rerum narratio non posset alio carmine quam hexametro melius & commodius, sicut Aristoteles sentit, explicari: at qui epopeia tota consistat narratione. Eius materiam, & carmen illis verbis Horatius complexus est:

In arte poëtica.

Res gestae regumq; ducumq; & tristia bella

Quo scribi possit numero, mostravit Homerus.

Melici] μέλιται est Graeca vox cantum significans, è qua melicum nomen dicitur. Quare omnes Poëta & sciantores primum melici appellati sunt; sed proprius ea carmina, que cum fidium ac tibiarum modulatione consociabatur, melica nuncupata sunt; qualia sunt lyrorum poëtarum, & dithyrambicorum. Sed & ipsi lyrici cantilenas suas μέλη, & ὠδὰς vocarunt. Itaq; ob prestantiam cantus lyricalis poësis melice nomine obtinuit, ac proprium effecit, cuius erat significatio communis. Melica poësi subiectam materiam satis aptè Horatius mihi descriptissime uidetur:

Musa

Musa dedit fidibus diuos, puerosq; deorum,
Et pugilē victorē, & equum certamine primum,
Et iuuenum curas, & libera vina referre.

In arte poë-
tica.

Eius verò numeri varij sunt ac multiformes, ad lyricā
harmoniam & saltationem idonei: oratioq; florens, pi-
cta, suauis, expolita, omnibus verborum & seneclarum
leporibus aspersa, temperatum dicendi genus maximè
persequens.

Dithyrambici] Dithyrambicū poëma solius Bac-
chi laudes amplectitur, à quo etiam nomē accepit: quo-
niā ille, quod bis natus crederetur, semel è Semele, ite-
rum ex femore Iouis, ac quasi duas ianuas, θύεται Gra-
ci vocant, penetrarit, talem appellationem fortitus fuit.
Ac dithyrambici carmen multiplex erat & varium,
à Bacchica saltatione minimum abhorrens, verbis con-
stans nonis, grandibus, longis, audacterq; cōpositis; sicut Lib. carmine
de Pindaro inquit Horatius:

4. od. 2.

Seu per audaces noua dithyrambos
Verba deuoluit.

Sed non possum mecum ipse non vehementer mirari,
quod, cùm Cicero illud dicat à Latinis magis tractatū
fuisse, ita prorsus extinctum sit, ut ne vestrum quidem
vllum appareat, quo, quale omnino fuerit, cōicere pos-
simus. Sed neq; multa melicorum ante Horatium apud
Latinos extant exempla. quare illud aduerbiū Ma-
gis] ad melicum solum quispiam retulerit. Hac de cu-
risq; poëmatis genere dixi quidem breuiter: sed ad Ci-
ceronis sententiam explicandam non erat meo iudicio
dicendum pluribus; cum præsertim de toto genere poë-
matis atque eius formis in illis quos De poëtica libros
scripsi, copiosè differuerim. Sensus autem Ciceronis est,
Poëticā in plures formas diuidi, qua inter se vi & tra-
statione distant. atq; hoc verba illa significant suum
quod-

quod quis est diuersum à reliquis] id est, cuiusq; natura diversa est ab aliis: nempe genere seu specie differunt; quoniam unumquodq; propriam habet differentiam. Quae poëmatum discrimina satis superq; nobis explicasse videmur.

Itaque & in tragœdia comicum vitiōsum est, & in comœdia turpe tragicum.

Comicum] quodcunq; est comœdiæ proprium. Vitiōsum] reprehendendum. Turpe] indecorum. Tota vis argumentationis in hoc versatur, quod formæ, qua ab eodem genere manantes certis propriisq; differentiis disunguntur, permisceri nullo modo possunt; multum siquidem inter se differunt; sicuti rationis capax animal longo intervallo distat ab experte: quandoquidem sola differentia speciem constituit, atq; ab alia quamq; forma se iungit. Quare poëticæ formarum altera in alterius consociatione venire non potest, vt que propriam habeant distinctamq; naturam. Quando igitur virorum illustrium actiones tragœdia imitatur, & comœdia humilium, indecorum est, ac vitiōsum, repugnansq; cuiusq; naturæ, si aut comica res & iocosa in tragœdia excitentur, aut in comœdia tragicæ perturbationes adhibeantur: sicuti apud Plautum in *Cistellaria* Alcestimarchus adolescens cū gladio in scenam inducitur sibi ipsi necem consicurus. neq; solum diuersa actionum illustrium & humilium imitatione comœdia & tragœdia differunt, sed etiam oratione. Nam tragœdia graui & sublimi oratione vtitur, comœdia verò ad vfitatam ferè puri sermonis consuetudinem sese dimittit. Rebus enim par esse debet atq; equalis oratio. Quamobrem, ut inquit Horatius,

In arte poë-
ticoa.

Versibus exponi tragicis res comica non vult:

Indignatur item priuatis ac propè socco

Dignis

Dignis carminibus narrari cœna Thyestæ.

Singula quæq. locum teneant sortita decenter.

& Quintilianus air, Sua proposita lex, suis cuicq; decor Lib.x.cap.23 est: nec comœdia in cothurnos assurgit, nec contraria tragœdia socco ingreditur. Et quamvis tragœdia nonnunquam orationem attenuet, cùm premit dolor, & attollat comœdia, cùm mira dicentem exagitat, sicut afferit idem Poëta,

Interdum tamen & vocem comœdia tollit,
Irratusq; Chremes tumido delitigat ore;
Et tragicus plerunq; dolet sermone pedestri.
tamen ita se illa erigit, ac contra ista demittit, ut nō omnino conditionem suam oblita videatur; sed & res, & verba genuinam quandam indolem, & proprietatem cuiusque redoleant. Neque solum in comœdia & tragœdia, sed

Et in ceteris suis est cuiusq; certus sonus, & quædam intelligentibus nota vox.

Cicero de poëtica locutione maximè loquitur, cùm de orationis generibus disputationat: in qua verba considerantur primo simplicia, deinde coniuncta. Simplicium quædam sunt vi sua grauia, quædam humilia, quædam lenia, quædam aspera, quædam nitida, quædam obscura, quædam canora, quædam languida, quædam ornata, quædam inculta. & quidem unaqueq; poësis apta sibi verba elit, ut comœdia humilia nullisq; lumini bus illustrata, melica poësis nitida & iucunda; dithyrambica altiora, & sono grauiora, & compositione audaciora; tragœdia & epopœia ornata, & grandia, sed hec tamen consonantiora. At coniuncta pro varia numerorum dimensione reddunt modo grauem, modo humilem, modo temperatum sonum. Est enim numerus quidquid sub aurium mensuram cadit; aures syllabrum.

Ibid.

rum interualla mensurant, breue internallum dicimus, cuius concitatio est sonus; cuius verò productior, longū; prescripta syllabarum dispositio pes est; pedum vero ratio coniunctio à mensura metrum nuncupatur. Ergo metrum in definita vocum contractione & incitatione consistit: quod certis internallis conclusum pro diversa numerorum dimensione ac dissimili longorum & breuum interuallorum percussione diuersos accētus & sonos emittit, à canendo à Latinis carmen appellatum. Nam epopœia propter grandorem, & stabiliorem, ac narrationi conuenientiorem sonum hexametro vtitur; tragœdia vero & comœdia (ut dictum est) iābo colloquiis commodiore; sed comœdia ut metri grauitatem, cantum remittat, & ad communem loquendi consuetudinem magis accedat, pedes dissoluit, tragœdia suā retinens grauitatem, lyricam suauitatem & concentum fugit. Ceterū melica ac dithyrambica varijs sunt numeri varie saltationi & harmoniae aptiores. Hinc cuiusq; poëmatis inter se diuersos, & in singulis certos sonos aurium sensu percipimus. Quædam intelligentibus nota vox] sonus est, qui ex aëris percussione sentitur; vox species soni est, nimirum rei anima predita sonus, atq; alicuius rei signum aut insitū à natura, aut pro hominum libidine impositum: quandoq; etiam vox orationem ipsam significat. Ac sancè cuiusq; poëmatis tum sonus sine vox, tum etiam dicendi modus sine locutione. Græcè dicitur, nisi ab intelligentibus, & iis qui in illo genere versati sint, cognosci non potest. Profetō aliena (ut sentit apud Ciceronem Antonius) poetæ lingua, & inter se quoq; dissimili loqui videntur.

Oratorum autem si quis ita numerat plura genera, ut alios grandes, aut graues, aut copiosos, alios tenues aut subtile, aut breues, alios cis interiectos

&

& tanquam medios putet, de hominibus dicet aliquid, de re parum.

Tria esse genera dicendi omnes dicēdi magistri trādiderunt: ea Graci satis aptè χαρακτῆρες appellant. siquidem χαρακτὴρ, quod nomen à verbo χαράσσειν derivatur, notam figurāmūe significat: rerum autē note verba sunt. ista enim (Fabius inquit) significant, illæ significantur. quare dictio, quæ rei proprietatem notat, rectè χαρακτὴρ nuncupatur; ab aliquibus quoq; stilus dicitur, à nonnullis idea locutionis, à Cicerone forma genūsq; dicendi. Ac sanè res alia grandis & magnifica, alia humilis tenuisq;, alia mediocris est: unde alia forma dictioñis est grauis, alia gracilis, alia temperata. Primum illud dicendi genus Graci ἀρδπὸν vocant, Latini robustum, grande, graue, copiosum, uber, amplum; alterum ἄρχοντος nominant, nostri gracile, subtile, tenuis, breue, humile, submissum, attenuatum; tertium μέσον illi, quia ex duobus, nostri temperatum, mediocre, medium, intermedium, interiectum utriusq; particeps, nonnunquam etiam floridum, quoniam Greccī ἀρθρόν πον quoq; illud nuncupant. Licetq; inter has tres enumeratas orationis quasi formas alias posse constitui Fabius scribat, tamen ad eam, cui magis propinqua est, semper unaqueq; refertur. Porro gracilis generis propria est venusta subtilitas: quod acutis frequens sententiis, & sineulla elaborata concinnitate elegans solam diluciditatem & latitudinem amat; nō ullum delectationis aucupium sequitur, sed figuris parcus vtitur, & translationibus verecundius, nisi his, que vel sermoni vulgari communes sunt; nec verba verbis coagmentare curat, neq; numerorum sonos, neq; rerum & verborum flores curiosius sectatur. Ut andā tamen illi ieiunitas est, sine seccitas, sine ariditas; ut ne (quemadmodum Horatius

In Oratore.

Lib. xij.

cap. x.

In arte poë- Horatius monet) deficiant sectantem leuia nerui,
tica. quamobrem.

Serpat humi tutus nimium, timidusq. procellæ.
In quod vitium quasi scopulum incidet, si verbis rem
minuat, & se nimis præciso atq; angusto circuitu perio-
dōne concludat. Sed alti propria est dignitas & am-
plitudo: quod ponit verba grandia, & translata, &
superlata, & idem significantia, & contentionē iterata,
& litteris immutata, & ad nomen adiuncta, atq; du-
plicata, & relata, & paria, & conclusa similiter, & eo-
dem pacto cadentia, & qua ab ipsa actione rerum atq;
imitatione non abhorrent. amplificationibus extollit o-
rationem, & vi superlationū quoque erigit. atq; etiam
Rēp. facit loquentem, & mortuos excitat, & acerua-
tim multa frequentans una cōplexione deuincit. Qua-
re verba coagmentans, & numeris grauibus, & figuris
verborum ac sententiarum illustribus vtens tum orna-
tè & copiose dicit, tum iram & misericordiam atque
omnes affectus inspirat. Quo in genere fugiendus est
tumor; siquidem sepe, ut refert Horatius,

Ibid. — professus grandia turgent.

Id quod equidem fit, dum quis insolenter exultat, &
impudentius id affectat, quod assequi non potest. Sanè
oratio ex nimia vehementia fit insuanis, quale Thu-
cydidis orationem Hermogenes esse censuit, & ex ni-
mia diligentia elumbis, cuiusmodi orationem Socratis
idem censor esse indicauit. atque ut siccitatis mater est
negligentia, sic tumoris (vt hoc verbo utar) affectatio.
Temperatum verò plenius humili, submissius copioso,
utriusq; particeps, vel potius (quemadmodum sentit
Cicero) expers est. huic lepores omnes orationis, &
rerum & verborum lumina conueniunt. translationibus
est crebrius, figuris incundius, egressionibus amoenum,
compositions

compositione aptum, sententiis dulce, lenius tamen, &
 (scut ait Fabius) ut amnis lucidus quidam, & viren-
 tibus utrinq³ siluis inumbratum. Eius vitium esse ^{Lib. xij.}
 trepidationem dicunt, ne inconstans sibi ipsi & varium
 sit, dum imprudenter ab utroq³ fugit. Quæ varietas o-
 rationum in tribus illis philosophis Carneade, Critola^o,
 Diogene, qui Romam legati ab Atheniensibus missi
 fuerunt (ut auctor est A. Gellius) animaduersa est. Nam ^{Lib. viij.}
 Carneades violenta & rapida, Critolaus subtilia & te- ^{cap. iiiij.}
 retia, Diogenes modesta dicebat. Quin etiam in tribus
 illis ducibus Ulysse, Nestore, Menelao hæc ipsa varie-
 tas apud Homerum notata est. Nam Menelaus bre-
 uiter & subtiliter,

H' τοι μὲν Μενέλαος ἐπιτροχάδην αὔγόρευε,
 παῦε μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως, ἐπεὶ δὲ πολύμυθος,
 ὃνδ' ἀφανερτούπτει:

Ulysses vero magnificè & copiosè: cuius verba grandi-
 nibus similia videntur.

Αλλ' ὅτε δήρ' ὅπατε μεγάλην ἐκ σῆθεος ἵει,
 τῇ ἔπειαν φάμεσσιν ἐκοίτη χειμερίου:

At Nestor temperate & suauiter dicit,

Ἐν τοῦ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος ὡς γλυκίστην φέναινεν.

Igitur Oratorum si quis ita numerat plura ge-
 nera, vt alios grandes aut graues aut copiosos] qui
 (vtar Ciceronis verbis) cum ampla & sententiarum ^{In Oratore.}
 grauitate & maiestate verborum vehementes, varij,
 copiosi, graues ad permutendos & conseruendos animos
 instructi & parati sunt: qualem fuisse Periclem acce-
 pimus; qui ab Aristophane poëta fulgurare, tonare,
 permiscere Graciam dictus est: Alios tenues aut sub-
 tiles aut breues] qui acuti sunt omnia docentes, & di-
 lucidiora non ampliora facientes subtili quadā & pres-
 sa oratione limati: cuiusmodi Lysias perhibetur subtilis

& elegans, qui se ad minutarum genera causarum limauit: Alios eis interiectos & tanquam medios putet] qui nec acumine posteriorum, nec fulmine utentes superiorum vicini amborum in neutro excellentes uno tenore (ut aiunt) in dicendo fluunt, nihil afferentes praeter facultatem, & equalitatem, aut addunt aliquos ut in corona toros, omnemq; orationem ornamentis modicis verborum sententiarumq; distinguunt: in qua orationis forma multi floruerunt apud Gracos, sed Phalerius

In Oratore.

Demetrius Ciceronis iudicio praestitit ceteris, cuius oratio cum sedate placideq; loquitur, tum illustrant eam, quasi stelle quedam, translata verba atque immutata. De hominibus dicet aliquid] nam quicunq; alicuius generis vim consequuntur sunt, magnum in Oratoribus nomen habuerunt. De re parum] quia naturam eius & perfectionem non attingit.

In re enim quod optimum sit queritur: in homine dicitur quod est.

Quod sit optimum] hoc est, que sit eius vera & perfecta natura. Optimum enim dicimus, quod in comparatione summum est, quod est perfectum, ac suis (ut aiunt) numeris absolutum, quod omnes (ut ipsem Cicero paulopost definiet) laudes habet. Queritur] recte dicit queritur, nam cuiusq; rei natura cognitu difficultas est, nec nisi longa disquisitione percipiatur. Dicimus quod est] nimium vires & facultatem, quam in eo esse cognoscimus.

Ita quelicet dicere & Ennium summum epicum poëtam, si cui ita videtur, & Pacuvium tragicum, & Cæcilium fortasse comicum.

Ex his quæ dicta sunt, primum infert Poëtarum in suo quemq; genere perfectum esse posse, cum diversa sint forma poematum, atq; inter se certis propriisq; differē-

tiis discretæ; tum Oratorum non esse parem rationem ostendet, quoniam eloquentia non est nisi dumtaxat una perfecta species & idea; ad quam qui magis vim suam accommodat, perfectior is est Orator. Ennium] is Rhodiis oppido Calabrie natus est, ac Romæ educatus, Scipiobus adeò charus, ut in illorum tumulis sepultus esse credatur. Scripsit heroico carmine Romanorum annales, & de secundo bello Punico historiam. Verum si fabula, hoc est, humanarum actionum imitatio poëtam facit, non autem carmen, alioquin Empedocles, Lucretius, & Lucanus inter poëtas censerentur, non video cur Ennius inter epicos annumerari debeat, cum historias solum scripserit, & in nulla propria poëta materia, nempe fabula, versatus sit. Ita enim Phalerenus Demetrius poëta materia fabulam esse dicebat. Quod si poëtam à faciendo carmine, non à fingendo vocatum putas, sicut Fabius Quintilianus & Eustathius existimasse videntur; nam iste in Iliade scribit τοιεν significare carmen facere, ille poëtam vocat metrorū compositorem, & carmen poëma; cur obsecro sicut ab heroico carmine poëta heroici vel epici dicuntur, nō item iambici ab iambō, & ab elego elegiaci dicentur? Martialis quoq; inter poëtas recenseri se debere contendet. Quares si tibi probabilis, & à poëtica facultate non aliena videtur, vide quo pacto in quinq; solum partes à Cicerone poëticam rectè diuisam tuearis. Quamobrem forte Cicero subiunxit Sic cui ita videtur. Omitto quod ruditus & impolitus fuit; ut plus religionis ob vetustatē, quam pulchritudinis, Quintiliano teste, habuerit. De cuius stercore aurum se colligere Virgilinus dictitabat: de quo etiam pulchrè scripsit Ouidius,

Lib. x. cap. 11.

Ennius ingenio maximus, arte rudis.

Lib. 11. De
Tr. st.

Pacuvium] Pacuvius Brundisius fuit, & tragœdias

B 2 scripsit,

Lib. 10. cap. 1. scripsit, clarissimus, Fabij testimonio, gravitate sententiariū, verborumq; pondere, & autoritate personarum: quanquam illum his verbis Martialis irridet,

Attonitusq; legis terrai frugiferai,

Accius & quicquid, Pacuviusq; vomunt.

Et Persius Satyra prima,

Est nunc, Bryseis quem venenosus liber Acci;

Sunt, quos Pacuviusq;, & verrucosa moretur

Antiopa, ærumnis cor luctificabile fulta.

Cæciliū] Statium natione Gallum, secundū aliquos
Mediolanensem, Enniū contubernalem. *Huic Volca-*

Lib. epist. 11. Epist. 12. *tius comicorum palmam defert, eumq; Horatius ceteros* gravitate vincere affirmat. Fortasse] quia, opinor,

Lib. 7. epist. ipsem Cicero ad Atticum scribens illum malum Latinitatis autorem appellat. Reliquorum duorum generum non meminit, aut quia suis temporibus non essent, qui in his generibus aliis antecellerent; aut quia minus in melicis & dithyrambicis poëticæ vis cerneretur; aut quia res satis illorum trium exemplo manifesta esset.

Oratorem genere non diuido. Perfectum enim quæro. Vnum est autem genus perfecti, à quo qui absunt, non genere differunt, ut ab Accio Teretius, sed in eodem non sunt pares.

Satis ostensum est poëtarum genus multiplex esse. nunc contra Oratorum genus simplex esse demonstratur, hoc est, in plures species non diuidi, quoniam eloquentia una est forma multis perfecta virtutibus. Nec quia diximus tria esse genera dicendi, tres inquam distinctiones, qui rerum naturam exprimunt, characteres, ideo tres formas perfecti Oratoris esse intelliges. Nam illa peraque in Oratore perfecto requiruntur; quem decet tum subtiliter, tum graviter, tum moderatè, prout res postulat, dicere. Genere non diuido] diuisio est propriæ

propria generis in species, partitio totius in partes. Perfectum] in quo insint omnia, que ad summam laudem requiruntur. Vnum] simplex, quod multiplici opponitur. A quo qui absunt] sunt profecto rerum omnium ideae quedam & forma, que à rebus ipsis separatae & abstractae animo & intelligentia continentur: & eloquentiae sua est forma, quam summi viri mente comprehendunt, pulchra & perfecta, cui nihil desit: à cuius similitudine qui magis recedit, deterior est Orator. Idcirco neque enim omnium in eodem genere eadem vis est atq; facultas, absunt dixit, nempe qui minorem ab eloquentiae imagine similitudinem ducunt, absunt inquam magis aut minus: ut in exprimenda eloquentiae forma facultates, non genera notentur. Non genere differunt] hoc est, non referuntur ad diuersas species. Et nam differentia licet omnem dissimilitudinem significet, tamen ea proprie differētia dicitur, que addita generi speciem facit, ut ab Accio Terentius] supple genere sine specie differt. Nam Accius, quē parentibus libertinis natum tradunt Marcinus & Serano Coss. tragicus fuit nō minus clarus, quam Pacuvius: tragœdias multas scripsit, quarum plerasq; è Sophocle conuertit: Terentius vero comicus Carthagine natus, Lelio & Scipioni familiarissimus, quorum opera in faciendis comœdis creditur adiutus fuisse; multa à Græcis, præsertim à Menandro desumpsit. Atqui Tragœdia & Comœdia diuersæ forma sunt poëmatis, plurimumq; inter se differunt. In eodem] genere, Non sunt pares] non equipollent, sed alter alteri facultate præstat. Nā ut in pictura, quod alius melius quam alius pingat, sic in eloquentia reperiuntur gradus pro hominum ingenio & viribus, quod in dicendo alius alio perfectior sit. Quin immò in ipsis poëtica singulis generibus sunt prima, secunda, ac ter-

tia partes, vt nemo velit in epopeia non esse quamsumissimus Homeri, & in tragedia Sophoclis, & in comedie Menandri.

Optimus est enim Orator, qui dicendo animos audiētiū & docet, & delectat, & permouet. Docere debitū est, delectare honorariū, permouere necessariū.

A tribus Oratoris officiis probat tres illas dicendi rationes in uno eodemq; Oratore inesse debere, non tres species Oratoris efficere. Sed quoniam officium absque fine (sunt enim in se relata) intelligi non potest, pauca de fine prius differemus. Finē oratoris esse dicendo persuadere maximorū rhetorum consensu iam comprobatum est. Persuadere est auditoris ad id, quod dicas, voluntatem inducere: voluntas vel ratione mouetur, vel aliquo animi affectu: quare Oratori hac duo in omni causa proposita esse debent, ut fidem faciat, & motum inferat. Itaq; in exhortatione genere honestas, in deliberatione utilitas, in iudiciale equitas proposita est, qua fides fiat orationi: ad motum verò pertinentes fines sunt in primo delectatio, in altero spes aut reformatio, in tertio sentitia vel clementia. Hinc etiam quatuor partes orationis effecte sunt, quarum prima (ut docet Cicero) & postrema ad motum animi valent; is enim initis est, & perorationibus excitandus; secunda narratio, & tertia confirmatio ad faciendam fidem pertinent. Hinc quoq; tria officia Oratoris constituta sunt docere, delectare & permouere. primum illud probationem habet cause, reliqua motum. atqui motus animi est duplex, alter sedator, alter vehementior. equidem delectatio suavis est animi cōmotio, permotio verò grauis affectio: uterq; autem motus pro re loco adhibendus. Unde apud Ciceronē Antonius, Tribus rebus, inquit, omnes ad nostram sententiam perducimus aut docendo, aut conciliando,

In Particio-
nibus.

In De Orato-
re. II.

aue

aut permouendo. Erit igitur (*ut Ciceronis verbis utar*) In Oratore.
 is eloquens, qui in foro causisq; ciuilibus ita dicet, *vt probet, vt delectet, vt flectat: probare necessitatis est, delectare suauitatis, flectere victorie.* nam id unum ex omnibus ad obtainendas causas potest plurimum. Qui vero unum Oratoris officium esse dixit, nempe docere, is ab Oratore motum subiraxit; in quo se late fundit, & in quo maximè dominatur eloquentia. nam omnem amplificationem sustulit; nec dicentis finem, qui in auditoris animo situs est, satis aduertit. Docere debitum est] sine opus est. Oportere (*ut docet Cicero*) perfectionē In Oratore. declarat officij, quo & semper vtendum est, & omnibus. at qui causam probare & semper necessarium est, & omnibus. Ideoq; alibi docere dixit esse necessitatis, quo- In Oratore. niam hoc officium & semper, & omnibus est necessario praestandum, si omnino docendus est auditor id, quo de agitur. Immo semper Orator vel in aliis officiis id pre se ferre debet, *vt docere velle videatur; quandoquidem illa animi adhæret affectio, que cum ratione suscepta videtur.* Quare Aristoteles duas orationis partes ne- Rhetoric. lib. 3.
 cessarias esse duxit, sine quibus stare causa non possit, propositionem & confirmationem; principium vero & conclusionem non necessarias, quod nō semper vsui sint, sed permouendorum auditorum causa adhibeantur. Et quidem Oratori si satis esset rem tantum probare, non etiam ad id, quod suadet, auditoris voluntatem impellere, proculdubio aliis officiis illi opus non esset; sed quoniam illi propositum est dicendo persuadere, permouere illi quoq; est necessarium. si quidem in motu est victoria. Igitur docere necessitatis est ratione causa, & auditoris seu victorie gratia permouere itidem est necessarium: verum illud semper est necessarium, hoc vero non semper, sed cùm probatio ad obtainendam causam,

satis per se ipsa non valet. At delectare suavitatis est, quoniam est ad delectationem aurum potissimum comparatum; & est honorarium, quoniam ex nullare alia maiorem laudem & honorem Orator, quam ex orationis suavitate acquirit, qui ab eloquendo nomen accepit. Ex his tribus officiis tria dicendi genera orta sunt, docente ipsum Cicerone. Sed quot officia Oratoris, tot sunt genera dicendi, subtile in probando, modicum in delectando, vehemens in fletendo. Et Fabius Quintilianus cum eadem orationis tria genera statuisset, subdidit: quorum tamen ea ferè ratio est, ut primū docēdi, secundum mouendi, tertium illud delectandi sine intercōciliandi præstare videatur officium. Quamobrem si præstare optimus Orator hec debet, ut docendo, delectando, commouendo in suam sententiā audientes perducat, simul habeat tria genera dicendi necesse est; videlicet ut subtiliter & venustè doceat, ut leniter & tēperatè delectet, ut grauitate & copiose commoueat.

Hæc ut aliis melius, quam aliis, concedendum est: verū id sit non genere, sed gradu.

Melius] adde tu verbū præstet. Id sit non genere] diuerso, neque in diuerso genere. Sed gradu] quod idem illis verbis antea dixit: non genere differunt, sed in eodem non sunt pares.

Optimum quidem vnum est, & proximū, quod ei simillimum. Ex quo perspicuum est, quod optimum dissimillimum sit, id esse deterrium.

*N*on enim possunt genere differre, qui in eodem genere versantur. Optimum] aut eloquentia, aut Oratoris genus. Proximum] optime. Simillimum] quod maximè ad illius formam accedit. Deterrium] contrariorum enim (ut dialektici loquuntur) eadem est ratio, nam unius perspecta vi, alterius quoque statim na-

tura

tura cognoscitur. Optimo autem pessimum aduersatur.

Nam quoniam eloquentia constat ex verbis & sententiis, efficiendum est ut pure & emendatè loquētes, quod est Latinè, verborum præterea & priorum & translatorum elegatiā persequamur: in propriis, ut aptissima eligamus; in translatiis, ut similitudinem sequuti verecundè vtamur alienis.

Præterea idem probat ex partibus eloquentiæ, quod Oratoris non sit nisi unum perfectum genus, in quo laudes omnes insint. Sanè omnis oratio constat ex his (ut ait Fabius) quæ significatur, & his quæ significant, hoc est, rebus & verbis: illæ enim significantur, ista significant; neque verba (ut cum Cicerone dicam) sedem habere possunt, si rem substraxeris; neq^z, res lumen, si verba semoueris. Res Cicero hoc loco sententias vocat, nimirum animi sensa, quæ videlicet animo & mente quisq^z concipit atq^z intelligit. Verborū autē ratio (eode Cicerone multis in locis & Fabio præcipiēte) tū in simplicibus, tū in cōiunctis posita est. Simplicia esse debet Latina, & propria Romani sermonis, nō barbara, aut peregrina; perspicua, quæ & r̄sitata sunt, & r̄ē propriè declarat; nō ambigua, vel obscura; figuris ornata, nō inculta; rei, qua de agitur, apta, non inepta, qua nec connueniat, neq^z ullam energiam sive efficaciam habeat. At in cōiunctis seruanda est consecutio, ne generibus, numeris, temporibus, personis, casibus perturbetur oratio. quæ Latinè loquendi precepta (ut scribit Cicero) puerilis do- In De Gra-
étrina tradit, & subtilior cognitio ac ratio litterarum tore, lib. 3.
alit, aut consuetudo sermonis quotidiani, ac domestici libri confirmant, & lectio veterum Oratorum & Poëtarum. Studendum est etiam perspicuitati, ut ea, quæ dicimus, intelligantur; ne sit ambiguus sermo, nō nimis longa verborum continuatio, non discepta sententia,

non prepostera tempora, non confusa persona, non perturbatus ordo. Tertia virtus locutionis est, ut quibusdam quasi luminibus figurarum illustretur, ac lenio sit & aquabilis, & quasi quandam numerum versusq; conficiat. Nam ut simplicium, sic etiam coniunctorum verborū suus est ornatus: & quas Latini figurās, Graci, quasi gestus, σχήμata vocant. Ultima eius virtus est, ut rerum & personarum dignitati consentiat. quod decorum sapientia cernitur, quae fundementum est eloquentiae. cuius rei gratia tria genera dicēdi facta sunt, quā nos breviter antē perstrinximus. Hęc quā dicta sunt, opinor, iam melius Ciceronis sensum aperient. Purę] sine ullo peregrino verbo, aut barbara coiunctio- ne verborū. Emendatę] sine solōcismo, qui aut genere, aut numero, aut persona, aut tempore, aut casu inqui- nationem. Quod est Latinę] atq; hec prima vir- tus orationis est. Proprietorum] propria sunt, quae sunt aut esse possunt eius rei, quam significari volumus, ac quae habent cuiusque rei propriam significationem; quae (ut inquit Fabius) id significant, in quod primum deno- minata sunt, & (ut ait Cicero) certa sunt quasi rerum vocabula penè vna nata cum rebus ipsis. Trāslatorum] translata sunt (quemadmodum Cicero & Fabius do- cent) quae alieno quasi in loco collocantur, hoc est, quan- do verbum ex proprio loco & significatione in aliū lo- cum transfertur; vel ubi deest proprium, ut necessitatis & inopie gratia dicimus gemmare vites, sitire agros, la- tas segetes, luxuriosa frumenta: quibus quidem transla- tionibus frequētissime omnis sermo utitur; vel ubi trāslatum verbum proprio est melius, cūm aut maioris sig- nificationis causa transferimus, ut incensus ira, inflam- matus cupiditate, effrenis libido, aut ornatus causa, ut flumen eloquentiæ, orationis lumen, concionū procellæ.

Et

Et licet verba multis aliis figuris ornentur, quammetaphora, tamen translata maiorem præ ceteris & suauitatem & splendore afferunt. Elegantiam] nitorem, qui ex sordium abstersione fit: ex quo nonnulli tersum stylum vocant eum, qui cultus & elegans est. Quæ sit autem in utrisq; elegantia, docet cum inquit, In propriis, ut aptissima eligamus] ne sint obsoleta, neq; sordida, neq; humilia, sed usitata, significantia plena, quæ inquam vel optimè sonant, vel rem maxime explanat. Et id maxime proprium verbum est, quo nihil inueniri potest significantius. In translatis, ut similitudinem sequuti verecundè vtamur alienis] etenim metaphora verbum à genuina & propria significazione per similitudinem transfert ad non propriam. Quare (ut apud Ciceronem inquit Crassus) si translatio simile nihil In De Oratore, lib. 3. habet, repudiatur; si agnoscitur, similitudo, delectat. At porro translatio neq; re maior, neq; minor, neq; humili, neq; sordida, neq; dura, neq; obscura, neq; nimis frequens esse debet; sed ea Verecundè] neque frequentius, neq; temerè & audacter utendum est, quoniā alienam significacionem mutuo accipimus. Profectò ut propria claram & perspicuam, sic translata verba comptam & ornatam orationem efficiunt. Atq; hæc pertinet ad inventionem, electionemq; verborum: illa vero ad rerum.

Sententiarum autem totidem genera sunt, quot diximus esse laudum. Sunt enim docendi acutæ, delectandi quasi argutæ, commouendi graues.

Laudem appellat perfectionem officij. Sunt enim idem etiā Fabius monet, ut in docendo acumen, in interconciando lenitas, in mouendo grauitas videatur. Lib. 12. ca. 10. Acutæ] id est, perspicaces, & quæ facile in animum penetrant, & inharent. Quasi argutæ] argutum solers significat & acutum. ad delectandum enim valent sententiae

28 IO. ANT. VIPERANI COMMENT.
tentia non omnino argata, sed quadam cum solertia
lenes.

Sed & verborum est structura quædam duas res
efficiens, numerum, & lenitatem.

Redit ad verba, quorū est non solum electio, sed etiam
consideranda coniunctio: quæ duas res facit spectantes
ad ornatum, numerum, & lenitatem. Structura] collo-
catio. Numerum] numerus, quem Græci πυθμὸν vocat,
In Oratore. est (ut inquit Cicero, & nos antè explicauimus) quid-
quid sub aurium mensurā cadit: vel, ut alijs finiunt,
temporum ordo, celeris, inquam, vel tardi motus consen-
sus. Nam tempus est minima vocis mensura: mensura
vero vocis alia brevis est, alia longa. Vocum certa di-
mensio concinnam facit, siue apte cadentem orationem.
Debere autem numerosām vel concinnam orationem
esse, sed carentem versu; Aristoteles, Cicero, Fabius atq;
omnes rhetores præcipiunt: ut eius forma nec ἔμπειρος
sit poëticæ similis, nec ἀριθμητικης, hoc est, ut proximè ad
numeros accedat, non tota è numeris constet. Vitiosum
est enim in soluta oratione carmen facere; sed summa
laude & admiratione dignum est ad suauem quædam
sonum aptis interallis orationem distinguere. Quam-
obrem Orator tantum spatio temporum considerat, ut
recte & suauiter procurrant; non autem ordinem; quo
præscriptos pedes vincit inter se poëta, qui arctiore se
lege coercuit. Numeros aures ipsæ metiuntur, ut sentit
In Partit. Cicero, ne aut non cōpleas verbis, quod proposueris, aut
redunder: & (ut idem inquit alio in loco) ne vt procur-
rat longius, nec tardius subsistat oratio. Idemq; alibi,
In De Ora-
tore, lib. 3.
In Oratore. Aures, vel animus aurium, nuntio naturale quandam
in se continet vocum omnium tensionem. Itaq; & lon-
giora, & breviora iudicat, ac perfecta & moderata sem-
per expectat: mutila sentit quadam, & quasi decurta;
quibus

quibus, tanquam debito fraudetur, offenditur: produc-tiora alia, & quasi immoderatius excurrentia; qua magis etiam affermantur aures. sed non est nostri operis docere quibus maximè numeris Oratoris oratio vin-ciatur, & qui in principio, qui in fine, qui in medio potissimè probentur: de quibus Cicero multis in locis copiosissimè discernit. Lenitatem] aquabilitatem, quam facit verborum concursus neq; asper, neq; hincus, sed (ut docet Cicero) quodammodo coagmentatus, & leuis. Itaq; videndum ne concurrant vocales; vt illud Bacca-eae impendebant; ne asperiores consonantes inter se commissare rixentur, vt Ars studiorum, ne sequēs dictio ab ultimis litteris præcedētis incipiat, vt O fortunatō natā; ne eadem littera frequentetur, vt O Tite tute tate tibi tanta tyranne tulisti; ne continua sint cadentia similiter, & desinentia, & declinata, vt Flētes, plorantes, lacrymantes & miserantes. Postremo fugienda sunt plura simul monosyllaba, plures dictiones breves aut longae, nomina iuncta nominibus, verba verbis, similia similibus, atq; insuanis eiusdem dictionis repetitio, & verborum vitiosa traiectio longaque continuatio, vt leuis & aquabilis fiat, ac dulciter fluat oratio. que à Fa-bio Quintiliano & ab authore ad Herennium fusius Lib. 4. præcipiuntur. Nec solum verba, sed

In De Ora-tore, lib. 3.

Et sententiæ suam cōpositionem habent ad probandam rem accommodatum ordinem.

Compositionem rerum ipse met ordinē appellat. Rhetores omnes proprio artis vocabulo dispositionem. Ad probandam rem] ordo, qui docetur ad faciendam fidem, is videtur esse, ut primum firmiora, deinde leuiora, postremo argumenta firmissima, velut triarij, in ultima acie collocentur. Et quidem precepta dispositionis multa sunt, sed in singulis causarum generibus accom-modatius

Lib. 9. cap. 4.

In Partit.

modatius illa traduntur: velut in demonstratio gene-
re, in quo aut landamus aut vituperamus, triplicem
factorum collocationem Cicero instituit, ut aut tem-
porum seruentur gradus, aut generum distributiones,
aut grata varietate unumquodq; distinguatur: in de-
liberatio suasori hac duo confirmanda sunt, ut & uti-
le esse, quod suadet, ex fine demonstraret, & posse fieri ex
causis; dissuasori horum alterum labefactare satis est,
aut utile non esse, aut fieri non posse: in iudiciali vero
quid in coniectura, quid in definitione, quid in quali-
tate, quid in legalibus questionibus vel accusatori vel
re sequendum sit tam multa ac tam copiosè Rhetores
praeceperunt, ut huius generis gratia tantum scripsisse
videantur. Que praecepta dispositionis natura vim ad-
iuuant; sed nisi ad sit prudentia, nulla est omnis prae-
ceptorū traditio. Hac enim pars eloquentiae maiorem præ-
ceteris prudentiam iudiciumq; requirit. Nunc vero il-
lud dubitationem aliquam afferre videtur, quod Cice-
ro cùm dixit, ad probandam rem, videtur motus ob-
litus fuisse. verum ordo, qui ad faciendam fidē spectat,
idem etiam quibusdam ornamenti & amplificationi-
bus interpositis ad motum valet. qui porro motus à fide
separari non potest; at fides sine motu esse potest.

Sed earum omnium rerum, ut ædificiorum, me-
moria est quasi fundamentum; lumen actio.

Sanè in Partitionibus Cicero ex rerum & verborum
inuentione & collocatione quinque partes eloquentiae
clariss, quàm hoc loco deduxit. Nam inuentio rerum
& dispositio duas per se partes efficiunt, cùm ratione &
tempore disiuncte sint: verborū autem inuentio & col-
locatio, cùm eodem sint tempore, nec intelligentia sepa-
rentur, dumtaxat vnam partem constituant, que e-
loquitio propriè dicitur. Quod autem quartum locum,
actioni

actioni dederit in partitionibus, quem hic, sicut omnes dicendi magistri, memoria tribuunt, non inscienter factum existimat: nam actionem illic voluit eam intelligi, que domi exercetur, ac memoria simul commendaatur, non eam quae se foris, atque una secum reliquas partes ostendit. Quinque igitur sunt partes, quibus constat eloquentia, Inuentio, Dispositio, Eloquutio, Memoria, & Actio. quas nonnulli rhetoricae partes appellant, quod illarum preceptiones uniuersam benedicendi artē complectantur: alijs Oratoris officia, quod Orator ad persuadendum ex se illa prestare debeat. Earum omnium rerum] tam sententiarum, quam verborum. Etenim quidquid est, aut sub intelligentiam cadens, aut sub sensum, res dicitur, proprius tamen, quod aut cerni, aut tangi potest, corpus nominatur. Memoria est quasi fundamentum] Est enim memoria rerū & verborum dispositionis firma animi perceptio: quo circa dicitur thesaurus & custos omnium partium orationis. Qua ut sit non contempnendum beneficium naturae, certè etiam exercitatione, velut aliae partes, angenda, & artificio confirmanda est. Constat autem artificiosa memoria tū locis, que vel natura perfecit, vel manus absolvit; tū imaginibus, que sunt rerū effigies & simulacra. ideoq; In Partib; Ciceronis sententia litteratura persimilis in dissimili genere, & quodammodo germana est. Nam vt litteratura cera indiget (veteres enim in cera scribere solebāt nondum inuenient papyri vsū) & notis, que in cera impressuntur; sic confessio memoriae, tanquam cera, locis uititur, & in his, velut litteras, imagines collocat. Lumen actio] à gestu actio dicitur, à voce pronunciatio: sed habet virumq; nomen communem significationem: finiturq; esse rerum & verborum cum dignitate moderatione. Lumen Cicero appellat, quia reliqua sepulta, & quasi

De Inuent. 13

Ad Heren. 34

Fab.lib. 15.

cap. 2.

quasi intenebris iacerent, nisi actionis lumen accenderet: recte quoque eloquentiae comitem vocaueris; quoniam quo modo dicatur, id est (inquit Cicero) in duobus, in agendo, & in eloquendo. Est enim actio quasi corporis quedam eloquentia, cum constet e voce atque motu. Act tantum illa valet, ut plerique viri eloquentes actionis deformitate infantes, contra infantes indiserti &

In Oratore. ineloquentes actionis dignitate eloquentes Cicerone teste putati fuerint. Itaque non immerito Demosthenes illi primas, secundas, & tertias adscripsit; quod eloquentia sine actione nihil, contra actio sine eloquentia plurimum possit. Quamobrem intellige Oratorem a Cicerone dici non orationum modo compositorem; qua significatione & socratem ritè vocaueris Oratorem, sed causarum actorem, qui in senatu, foro, iudicisq; versatur. Et ut ea, quae diximus, ad Oratoris officia reducamus, primum sententiae inuenienda sunt ad docendum acutæ, ad deletandum quasi argutæ, ad mouendum graues; tum disponenda ad faciendam fidem & motum in suo quaque genere causarum accommodatæ; ipsa quoque dictioñis forma, cum docendum est, subtilis, cum interconciliandum, temperata, cum permouendum grauis esse debet.

In Oratore. Ad hæc volet eloquens (ut Ciceronis verba referamus) contēta voce grauia, submissa lenia, temperata mediocria dicere apto corporis gestu & vultu. Omnia autem quasi fundamentum & custos est memoria, sine qua cuncta corruerent.

Ea igitur omnia, in quo summa, erit Orator peritissimus; in quo media, mediocris; in quo minima, deterius.

Itaque concludit unam esse perfectæ eloquentie formam, quam alius melius, quam alius imitatur. Unde gradus sunt in eloquendo plures pro hominum ingenio

& facultate; ipsa vero perfectio una. Quam sententiam illis verbis ante expressit, Optimum quidem unum est, & proximum, quod ei simillimum. ex quo perspicuum est, quod optimo dissimillimum sit, id esse deterrimum. Summa] optima, perfectissima, in summo gradu. Peritissimus] praestantissimus in dicendo artifex.

Et appellabuntur omnes Oratores, ut pictores appellantur etiam mali: nec generibus inter se, sed facultatibus different.

Simile & re, & appellatione adducit argumentum. Nam ut pictores dicuntur etiam mali, neq; a bonis melioribus & optimis specie differunt, cum eandem artem exerceant, sed facultate; sic Oratores non genere & appellatione dissimiles inter se sunt, sed gradu. altoquin si genere different, ut Menander Homeri similis esse noluit, sic Lysias Demosthenis esse noluisse. At serius est.

Itaque nemo est Orator, qui se Demosthenis similem esse nolit: at Menander Homeri noluit, genus enim erat aliud. id non est in Oratoribus.

Quod ab Oratoris tribus officiis, & eloquentia quinque partibus, que Oratoris officiis deserviunt, probatum est. Demosthenis] omnium optimi, quo nihil potest ergitari perfectius: & quo Cicero ne Athenas quidem in Oratore ipsas magis credit fuisse Atticas. Similem esse] Nam sumnum, & optimum ab omnibus per se expicitur. Menander] Atheniensis, qui noue comedia multa edidit argumenta, quorum aliquot Terentius cōseruit. Homeri] poētae heroici, cuius duo extant praeclarissima poēmata Ilias & Odyssaea, eius laudes ab omnibus passim celebrantur. Genus enim erat aliud] Menandi comicum, Homeri epicum: que genera quantum inter se distent, satis ante ostensum est: cum aliud actiones illustres

lustres imitetur, aliud humiles; aliud grati, aliud gracili oratione utatur; atque illius numeri heroici, huius sunt iambici.

Aut etiam si est, ut alius grauitatem sequens subtilitatem fugiat; contra alius acutorem se, quam ornatorem velit; etiam si est in genere tolerabile, certe non est in optimo.

Quia varia sunt hominum ingenia, non eadem res quemq[ue] delectat, nec possunt eadem omnes. Grauitatem sequens] sicut Pericles, qui natus ad res grandes, nūquam se voluit ad humiles demittere. Acutorem] sicut Lysias, qui se ad minutas causas limauit. Ornatiorem] id est grauiorem. ornatus enim proprius est generis dicendi grauis. In genere] seu modo dicendi. Tolerabile] carens vitio & reprehensione. Non est in optimo] genere, & perfecto: quod non modo vitio caret, sed laudem etiam habet, & admirationem vniuersam eloquentie.

Siquidem quod omnes laudes habet, id optimum est.

Probat quod dixit à definitione optimi. Quod enim perfectissimum est, idem est optimum, & summum, in quo insunt omnia; cui vero aliquid abest, id neq[ue] summum, neque optimum, neque perfectum dixeris. Esse vero tres Oratoris laudes docere, delectare, permouere, sententiis acutis, quasi argutis, & graminibus, verbis etiam Latinis, puris, emendatis, propriis, illustribus, aptis, structura sua lenitate, & numerum quandam efficien- tibus, tum decente corporis gestu & vultu, voceq[ue] submissa, temperata cōtentu, seruato in omnibus decoro, quod est munus proprium sapientiae, iam demonstratum est.

Hec dixi breuius equidem, quam res petebat, sed ad id quod agimus, non fuit dicendum pluribus.

Vnum

Vnum èhim cùm sit genus, id quale sit querimus.

Hactenus probauit vnum esse genus eloquentia perfectum: quod verò illi simile in hominibus inuentum fuerit, deinde monstrabit. Et quoniam instituerat non eius naturam vniuersam explicare, sed illi simile aliquod ostendere, quod in hominibus agnosceretur, excusat se, quod breuius ista dixerit; Quam res petebat] rei natura. quam tamen in Oratore ad Brutum doctissimè & elegantiissimè expressit. Ad id quod agimus] agit autem id, ut cùm sit vnum multis laudibus cumulata eloquentia genus, illi Atticum simile esse intellegatur.

Est autem tale, quale floruit Athenis.

Id est Attico simile. Porro tria genera dicendi non nulli per gentes & nationes diuiserunt, atque adscriperunt Asianis ubertatem, Atticis tenuitatem, Rhodis mediocritatem. Atque illud Asianis accidisse idcirco putat Fabius, quoniam cùm Græca lingue proprietatem ignorarent, Græco sermone in Asia ciuitates influente, circumlocutionibus vterentur; atque inde factum, ut illorum sermo nimia ubertate redundaret. Verum Athenienses, quorum erat lingue proprietas, quod sineulla vitiosa abundantia limati essent, habiti sunt tenues & pressi. At Rhodij interiecti medij quidam, neque inflati Asiano sermone, neque Attico emuncti indicati sunt. Sed non rectè sentiunt. Nam Asiani repudiantur ut tumidi & inanes; Rhodij quoque non probantur, quoniam illorum sermo è fonte puro non emanat; Atticum verò genus idcirco optimum est, quia est purum, tersum, & elegans, neque solum pressum, sed etiam, quādo res postulat, graue & temperatū. Etenim (ut sentit Cicero) eloquentia moderatrix semper fuit in Oratore, auditorum prudentia. proinde quorum aures teretes &

religiosa fuerunt, ut inepta & inornata res fuerent, qui horum iudicio commendati sunt, eos procul dubio credendū est benedixisse. at qui huiusmodi fuerunt Atheniensium aures & iudicium, ita ut nihil possent nisi incorruptum & elegans audire. Igitur qui se ad Atticorum aures sinceras & prudentes accommodarūt, iſ benedicere existimati sunt, & Atticē. Quamobrem de hoc nomine melius sentiunt, qui Atticē dicere ducunt esse optimè dicere.

- Ex quo Atticorum Oratorum ipsa vis ignota est, nota gloria.

Vis] facultas & virtus. Gloria] nomen & celebra-
tio. Quis enim Oratores illos Atticos Demadem, A-
eschynem, Demosthenem aliosq; permultos non sentit
ubique laudari? at quotus quisque illorum vim Atti-
cam intelligit?

- Nam alterum multi viderunt, vitiosi nihil apud
eos; alterum pauci, laudabilia esse multa.

- Hunc contra eos disputare incipit, qui Atticē dicere
putabant esse tantummodo enucleatē & eleganter di-
cere. Hi partim recte indicabant, quod in Attico nihil
in soles aut ineptum esse existimarent, partim falleban-
tur, quod solam rruitatem Attici esse censerent; cum
ornate, graniter & copiose dicere Atticum sit, aut ne sit
Æschynes, néne Demosthenes Atticus. Alterum] re-
fertur ad id, quod sequitur vitiosi nihil] neque in ver-
bis, neque in sententiis, id quod valet ad gloriam. Pau-
ci] nimirum periti: quorum semper magna est pauci-
tas. Laudabilia esse multa] ut subtilitatem & acu-
men, equalitatem & dulcedinem, granitatem & cultum,
atque energiam orationis.

Est enim vitiosum in sententiis, si quid absurdum,
aut alienum, aut non acutum, aut subinsulsum est.

Ostendit

Ostendit vitia evitata ab Atticis primum in sententiis, deinde in rebus. Absurdum] ineptum & absurdum, ac sibi ipsi repugnans. Alienum] disunctum, minimeq; cohærens. Non acutum] non subtile, non perspicax, sed stolidum & quasi obtusum. Subinsulsum] aut paucos, aut nullos quasi sales & lepores habens.

In verbis si inquinatum, si abiectum, si non aptum, si durum, si longe peccatum.

Inquinatum] sordidum, quale curia stercus Glan-
cia. Abiectum] humile, rei dignitatem non adequans,
ut illud, in cista vestem mures rosere Canilli. Non
aptum] sine improprium, quod Greci ἀρρών vocant,
cuiusmodi est sperare promovere, cum speremus bona,
timeamus mala, sine aut plus aut minus ne ipsa signifi-
cans. Durum] quod vel non bene sonet, ut Ciceroni bea-
titas & beatitudo virumq; durum videtur, vel quod
minus commode transferitur, ut illud est, Iupiter hiber-
nas canariae constituit alpe. Longe peccatum] quod
longe translatum est, ut hoc, campo pacis sustulit, bel-
li montes excitauit. Poterat enim a tranquillo eis tun-
bate mari duci translatio. Neque saltem in simplicibus
verbis est vitium, sed etiam in coniunctis. Quidam est
consequens. Quam rem quippe pueritem pretermisit
Cicero, & in sententiarum quoque ordine peccatur, si
quid loco non ponitur, cuius rei longe esset ad difficultas
explicatio, sed nihil ad id, quod nunc agitur, pertinet.

Hac vitia evitari sere omnes, qui aut Attici me-
merantur, aut dicunt Atticè. Hec verborum & sententiarum vitia. Nam hoc
primum est in laude positum Atticorum, quod incor-
ruptiones sunt, & elegantes, neque ullo vitia maculati.
Sed quatenus valuerunt sani, & siccii dumtaxat
habentur, sed ita, ut palastricè spatiati in Xysto

De Natur.
Deorum. i.

v. dil. xxxiv
ix. q. 50

vt liceat, non ab Olympiis coronam petant.

Hos Oratores, qui vitia quidem vitarunt, quod est proprium Atticorum, sed landabiles virtutes non habuerunt, appellat sanos & siccios, quia sunt bona valitudine & graciles, verum sine viribus, sine lacertis, sine sanguine coloris q̄j suauitate; ac similes dicit iis Athletis, qui possunt palestricē in Xysto spatiari, hoc est, minutus causas agere, non autem ab Olympiis coronam petere, & in magnis granibus q̄j causis auditorum assensionem captare. Sani] sine vlla agritudine, seu vitio, est autē vitium quævis mala vel animi vel corporis affectio; quad ad orationem quoque transfertur. Sicci] tenues seu graciles, qui robusti non sunt, & in dicendo minime uberes & copiosi. Sed ita, ut liceat] propter bonam valitudinem possint. Ut palestricē spatiari in Xysto] deambulare palestritarum more in Xysto, hoc est, in minoribus causis versari. Xystum & Xystus apud Gracos idem significant, nimirum stadium rectum, in quo per hiberna tempora Athletæ exercebatur: at Latinum Xystos vocant porticus tectas, in quibus se Athletæ per biennium exercebant: Xysta vero subdiales ambulaciones, in quibus sudo calo suas exercebant palestras. Palestra vero luctatio est, qua membra exercentur. Ab Olympiis] Olympia ludi sunt in Iouis Olympici honore instituti; qui quinto quoque anno celebrabantur apud Pisas in Helide regione: quo ad spectandum omnes ferè Gracie populi consuebant. In quod certamē qui prodibant, non solum integrī ac sani, sed etiam robusti ac valētes erāt: quib⁹ magis placeverēt, suauitatem quādā coloris studiore curabat. Coronam] dabauerunt vñctori aleæ corona, qua dore multi scripserūt, præsertim iij, qui Pindari Olympia cōmētaris illustrarūt. Cū huī modi athletis Cicero magnificos Oratores conferr.

Vitru. lib. v.
cap. xi.

Qui

Qui cùm careant omni vitio, non sunt contenti
quasi bona valetudine, sed vires, lacertos, sanguinem
quærunt, quandam etiam suavitatem coloris,
eos imitemur, si possimus.

*Monet ut eos Oratores imitemur, qui cùm careant
omni vitio] omni prauitate neque enim aliud est vi-
tiū, quam prauitas, & quod antè diximus, mala que-
dam affectio. Carere autem omni vitio est bona vale-
tudine esse. Et quia metaphorice loquitur vel ad expli-
candam, vel ad emolliendam metaphoram addit qua-
si. Vires] robur, sine efficacia. Lacertos] brachiorum
neruositatem. orationis vero nerui sunt argumentatio-
nes. Sanguinem] copiam & ubertatem. Quandam
etiam suavitatem coloris] qua à Venere venustas dici-
tur, pulchritudinem ipsam perficiens. orationis autem
suavitatis est ornat us numerus & equabilitas. Si possi-
mus] non enim omnia possumus omnes; neque eodem
pacto à natura cōparati ad rem quālibet omnes sumus.*

Sin minus illos potius, qui incorrupta sanitate
sunt, quod est proprium Atticorum, quām eos, quo-
rum vitiosa abundātia est, quales Asia multos tulit.

*Quod si magnificos Oratores imitari non possumus,
quia nos ad tātē excellentiā natura nō finxit, quoad
possimus nostro studio eos imitemur, Qui incorrupta
sanitate sunt] hoc est sani, sine ullo vitio, sed bona vale-
tudine. Quod est proprium Atticorum] nimirum vi-
tiosi nihil habere: quanquā non est hoc solū Atticorum.
nam illi etiam grauiter & ample dicūt. Vitiosa abun-
dantia] ea copia reprehenditur, quae insolenter inflatur
& turget, ac temerē & inconsultō redundat, & depa-
cenda quasi luxurians seges est. Quales Asia multos
tulit] ut Cariam, Phrygiam, Mysiam: quorum memi-
nit in Oratore Cicero. Quare Asiaticum dicendi genus*

40 IOANT. VIPERANI COMMENT.
vitiosum est inflatum & tumidum. At qui melius est
sine vicio gracilera esse, quam male corpulentum.

Quodcum faciemus (si modo id ipsum assequemur est enim permagnum) imitemur, si poterimus,
Lysiam, & eius quidem tenuitatem potissimum.

Profecto ut in vita, sic etiam in oratione aliquos est
neccesse nobis proponamus, quorum studiosi esse velimus,
alioquin velut absque rectore euagaretur & erraret o-
ratio. Vbi considerandum est, quem eligamus, quid imi-
tari velimus, & quantum. Itaque cum ad tennem sed
elegantem dicendi rationem vim nostram accommoda-
re studemus, quod ad maiora nati non sumus, aut certe
non liceat per opportunitatem contendere, Lysiam no-
bis ad imitandum proponamus hoc in genere prestant-
issimum, ac Ciceronis sententia venustissimum ac politi-
ssimum: neque omnia que in Lysia sunt imitabimur,
sed eius tenuitatem potissimum] qua ceteris excel-
luit. Qd enim in quoq; imitari debemus, quod in eo ma-
xime laudatur. (si modo id ipsum assequemur. Est
enim permagnum.) quod antea tolerabile in genere
dixit, si uniuersitatei perfectio spectaretur, hic hominum
vires & facultate animaduersens permagnum esse af-
firmat. & qui in aliquo genere excelluerunt, boni Ora-
tores habiti sunt. Lysias unus è decem, qui in Grecia flo-
ruerunt, Oratoribus fuit, Cephali filius, natus Athe-
nis, Syracusis oriundus, in dicendo tenuis & limatus,
quem qui audiunt, quamvis ipsi infantes sint, tamen

In Oratore. illo modo confidunt se posse dicere. Nam (ut ait Cicero)
orationis subtilitas imitabilis quidem illa videtur esse
existimanti, sed nihil est experienti minus. Et si enim
non plurimi sanguinis est, tamen habeat succū aliquem
oportet, ut etiam si maximis viribus careat, sit (ut ita
dicam) integra valetudine. Scire igitur dictum est, si
modò

Fab. lib. x.
cap. xj.

modò id ipsum assequemur, est enim permagnum.
Habes quem in humili genere imiteris, nempe Ly-
siam qui magnum in hoc genere nomen adeptus est: &
quid nimur eius tenuitatem.

Est enim multis in locis grandior: sed quia &
priuatas ille plerasque, & eas ipsas aliis, & parua-
rum rerum clautulas scripsit, videtur esse iejunior.
quoniam se ipse consulto ad minutarū genera cau-
ſarum limauerit.

Idcirco eius tenuitatem imitari potissimum debe-
mus, quia licet interdum sese erigat, tamen in eo subti-
litas est maxime admirabilis: qui de industria se ad
minutās causās composuit & limauit. Decet autem in
aliquo id imitari, in quo ipso ceteris excellit. Priuatas]
causās in priuatis positas disceptationibus tunc suscepit
ipso, tum aliis dedit agēendas; cum Oratorem adhibere
non liceret, sicut legimus Socrati, dum in carcere esset,
elegatissimam orationem obtulisse. Clauſulas [circui-
tus, vel periodos. Et paruarum rerum breves sunt &
angustiæ periodi, ut contra magnarum & grauiū gran-
des & longi ambitius. Iejunior]ſiccior ſiccior & co-
pioum opponitur. Ad minutarum genera cauſarum
limauerit] ad priuatarum & paruarum controverſi-
rum genera formisue poluerit. A fabris ſumpta me-
taphora eſt. Unde mihi non probatur, qui dicendū cha-
racteres non ē rerum natura, ſed ex ingeniorum vi de-
ſcribit; cām dicantur characteres orationis, hoc eſt re-
rum, que oratione explicantur, imagines. Quod autem
quis ad grauitatem ſi magis natus, & aptior, aut ad
tenuitatem concedēdum eſt: ſed in vito erit, ſi aut hu-
milia grauitter, aut grauia humiliter dixerit. Ad ill
autem quisque vim ſuam intendat, ad quod ſe magis
idoneum cognoscit.

Quod qui ita faciet, ut si cupiat vberior esse non possit, habeatur sanè Orator, sed de minoribus.

Minores sunt Oratores, qui minores causas siccè & submissè agunt: nec se possunt ad graviores erigere.

Magno autem Oratori etiam illo modo sèpè dicendum est in tali genere causarum.

At magnus & perfectus Orator etiam ad humiles & priuatas causas orationem attenuat. Sæpè] quia sèpè ad illum deferuntur. tantum ergo Oratori præstat Orator.

Ita fit ut Demosthenes certè possit submissè dicere, elatè Lysias fortasse non possit.

Certè] affirmantis est. nam quod possit submissè dicere declarat eius contra Leptinem oratio. Fortasse] non enim probari potest ullo exemplo, quod istud possit, & facilius est de paruis rebus submissè, quam de magnis elatè dicere.

Sed si eodem modo putant exercitu in foro, & in omnibus templis, quæ circum forum sunt colloca-
to dici pro Milone decuisse, ut si de re priuata ad v-
num iudicem diceremus, vim eloquentiae sua fa-
cilitate, non rei natura metiuntur.

*Captata occasione ex magni Demosthenis & Lysiae minoris Oratoris comparatione, ostendit à decoro, quod in principio proposuerat, unum esse perfectum Orato-rem, illumq; dicendi formas pro verum conditione va-riare. Est autē decere quasi aptū esse, cōsentaneūmq; tē-
pori, & persone & rei: cuius decori ignoratione nō solū
in vita, sed etiam in poëmatis, & oratione peccatur. O-
ratori verò videndum est non solū in sententiis, sed
etiam in verbis quid deceat; nec in omnimodo genere,*

*In Oratore. verū etiam in omni parte causarum. Quām enim,
inquit Cicero, indecorum est, de stolidis cū apud
bono*

vnum

vnum iudicem dicas, amplissimis verbis & locis uti
communibus: de maiestate vero populi Rom. summis-
se & subtiliter? Non omnis fortuna, non omnis honor,
non omnis autoritas, non omnis etas, nec vero locus, aut
tempus, aut auditor orationis, eodem aut verborum genere
tractandus est, aut sententiarum: semperque in omni par-
te orationis, ut vita quid deceat est considerandum: quod
& in re, de qua agitur, positum est, & in personis & co-
rum qui dicunt, & eorum qui audiunt. Et Fabius Quin- Lib.xij.
tilianus inquit, Plures sunt eloquentiae facies, quibus

Orator utetur, ut res exiget; nec pro causa modo, sed
etiam pro partibus causa. Nam ut non eodem modo pro
reo capitum, & in certamine hereditatis dicitur; & sen-
tentiarum in senatu, & concionum, & priuatorum con-
siliorum seruatur discriminis: ita in eadem oratione ali-
ter conciliatur, docetur, mouetur; partibus etiam ora-
tionis proemij, narrationis, confirmationis, & perora-
tionis mutato colore. Longa res, & subtili disputatione,
& copia orationis dignissima, sed in Oratore multis a
Cicerone tractata est. Ergo in causa Miloniana, in qua
de nece P. Clodi agebatur, in foro dispositis militibus a
Cn. Pompeio iussu Senatus, & in templis, quae circa fo-
rū erant, ut Saturni, Castoris, & Pollucis, & si que
erant alia, non seruasse Cicero decorum, si eodem pacto
dixisset, ut apud unum iudicem de quaestione priuata.
Quod si quis eodem pacto dicendum arbitratur, is quid
ipse possit considerat, non quid eloquentiae natura postu-
let: quae perit pro ratione decori, ut ne omnis locus, tem-
pus, auditor eodem verborum genere tractetur, & sen-
tentiarum. Exemplo esse potest ipsamet pro Milone
Ciceronis oratio, artificio & ornatu cunctis admirabilis.

Quare quoniam nonnullorum sermo iam incre-
buit,

buit, partim se ipsos Atticè dicere, partim neminem nostrum dicere; alterum negligamus. Satis enim hic res ipsa respondet, cùm aut nō adhibeantur ad causas, aut adhibiti derideantur: nam si arrideantur, esset id ipsum Atticorum.

Nunc orationem in eos convertit, qui, quod pressè & ieune dicerent, Atticè se dicere prædicabant, imbecillitatem suam appellatione sanitatis obtegentes, & quod eloquenti lumen afferre non possent, magni nominis umbra delitescere conantes. cumq; se Atticos prædicabant, Ciceronem tanquam Asiaticum reprehendebant: quemadmodum alibi quoque se de sua copia & vberitate dicendi reprehensum Cicero refert, & Fabius

Lib. 11. ca. 10 his verbis testatur. At M. Tullium non habemus Euphranorem circa plurimum artium species præstantem, sed in omnibus, que in quoque laudantur, eminetissimum.

Quem tamen & suorum homines temporum incessere audiebant, ut tumidiorem, & Asianum & redundantem, & in repetitionibus nimiu, & in salibus aliquando frigidum, & in compositione si attum, exultantem ac penè (quod procul ab sit) uiro molliorem. Sed alios, qui se Atticos vocabant, Cicero cotemnendos putat; quoniam cùm Atticorum sit ascensionem auditorum captare, ipsi vero aut non elegantur patroni, aut derideantur ad causam adhibiti, satis res ipsa declarat eos malos Oratores, nedum Atticos esse. Derideantur illudantur, vel explodantur. Arrideantur] cum risu & bona omnium gratia excipientur & laudentur. In derideantur, & arrideantur figura est verborum in eodem uenbo ludens (ut Greco nomine vt tamur) Paronomasa.

Sed qui dici à nobis Attico more nolunt, ipsi autem se non Oratores esse profitetur, si teretes aures habent, intelligensq; iudicium, tanquam ad picturam

ram probandam adhibentur etiam in se iaciendi cum aliqua solertia iudicandi.

Sensus est, aut fallor, qui nolunt nos Atticè dicere aut ipsi Oratores sunt, aut non: si Oratores non sunt, dum intelligentes sint, quemadmodum ad probandam picturam adhibentur etiā pingendi ignari, qui polleant aliqua solertia, sic ipsi ad indicandum de Attico more dicendi admittentur. Nam doceri poterunt, si quid aut laudent, aut vituperent, quod aut laudandum, aut vituperandum non sit. Quod etiam in poëmatibus, ut in picturis, atque in aliis compluribus, (verba sunt ista Ciceronis lib. III. De officiis; que, quod in huius loci declarationem facerent, lubenter apposui) usū venit, ut delectentur imperiti, laudentq[ue] ea, que laudanda non sint: qui iidem, quid in unaquaque re vitijs sit, nequeant indicare; sed instruti atque docti à peritis facile desinent à sententia. Teretes] rotundas, & perfectas, que apta & sonora sentiant, nec quicquam insolens aut ineptum accipient. Ac Virgilius probum, & ex se aptum hominem, non aliunde pendentem, rotundum vocavit, hoc est, sapientem atque perfectum. Perfectio enim rotundi, firmitas vero rei quadrati forma describitur. Securus, mundi instar habens, teres atque rotundus. Intelligensque iudicium] prudens & sapiens. Porro ad recte iudicandum de eloquentia duo requiruntur, aurium sensus, que numerorum iudices sunt. & mentis prudentia, que res & verba ab ineptis apta discernit. Faciendi] pingendi. Solertia] vigore animi, & acuminis, ac præstantia.

— Sin autem intelligentiam ponunt in audiendi fastidio, neque eos quicquam excelsum magnificumq[ue] delectat, dicant se subtile quiddam & politum velle, graue ornatissimique contemnere: id vero desinunt

desinant dicere, qui subtiliter dicunt, eos solos Atticè dicere, id est, quasi siccè & integrè.

Quod si Oratores se esse profitentur, & solo tenui descendit genere delectantur, dicat quid ipsi possint, aut relint; neq; suo fastidio rerum intelligentiam, sed illarum natura desiniant, nec sua libidine, sed illius virtute eloquentiam metiantur. At rectè quidem Cicero ad Brutum scribit, Tantum nunc quisque laudat, quantum se posse sperat imitari. Id est quasi siccè & integrè declarat quid ex illorum sententia sit Atticè dicere: persistitq; in eadē metaphora sumpta à corporis valedudine, qua huc usque semper usus est. Siccus idem est, qui gracilis; integer, idem qui sanus. Evidem isti rectè sentiebant, quod in Attico nihil insolens aut ineptum reperiretur; sed quod Atticus foret is, qui tenuis & inornatus esset, non rectè sentiebant.

Et amplè & ornatè, & copiosè cum eadem integritate Atticoru est; quid dubium est, utrum oratione nostrā tolerabile, an etiā admirabile cupiamus?

Tolerabilis est oratio, que in aliquo genere tolerabilis constitut carens vitio, & integra solum; admirabilis vero, que in sui admirationem audiētes rapit. Verum enim eloquentia (ut ai: Cicero ad Brutum in quadam, epistola scribens) sine admiratione nulla est. Efficiunt autem admirabilem eloquentiam (ut docet idem ad eundem scribens) duo in primis, si bene tractentur: alterum est iūdīdū, iucundū & come ad benevolentiam conciliandā paratū, ad naturas pertinēs, ad mores, & ad omnē vitę consuetudinē; alterū ταθτιδū vehemens incitatū atq; incensum, quo perturbantur animi & concitantur: illud leni & equabili & suavi oratione, hoc ampla graui & vehemente tractandū est. Quamobrem si bene dicere Atticorum est, erit etiā Atticoru nō solum integrē,

grē, sed cū eadē integritate, cūm opus fuerit, etiam copiose & magnificè dicere. Nec quisquam est, qui nolit Atticorum Oratorum similem fieri, & orationem suam non solum tolerabilem, sed etiam admirabilem esse; hoc est, optimā. Quod contra eos dicitur, qui subtilitate cōtentī splendorem orationis & amplitudinē contemnebant: qua sola in aliorum admirationem venit Orator.

Non enim iam quærimus quid sit Atticē, sed quid sit optimē dicere.

Quasi dicat, etiā si ornatē dicere non esset Atticū, tamē quia istud etiā ad perfectā eloquētia speciē, quam quærimus, pertinet, ample & magnificè quoque dicere studebimus. Quid sit optimē dicere] qua sit eloquētia perfecta forma, quam idēa Plato vocat, ab ea, quam in hominibus videmus, abstracta: cui qua simillima est, ea est optima: simillima verò est Atticū Oratorū oratio. Quae si ex perfecta illa, velut ex ore aliquo imago nō exprimeretur, laudabilis non esset. at quoniam exprimitur, proinde Atticē dicere est bene dicere, & qui Atticorum optimum imitatur, is proculdubio creditur optimē dicere. Igitur Atticē eloquētia laus ab ipsis perfecta eloquētia similitudine ducitur: & optimū dicēdi genus nō male. Antea dictū est tale esse, quale floruit Athenis.

Ex quo intelligitur, quoniam Græcorum Oratorum præstantissimi sunt ij, qui fuerunt Athenis, eorum autem princeps facile Demosthenes, hunc si quis imitetur, eum Atticē dicturum & optimē: ut quoniam Attici nobis propositi sunt ad imitādum, bene dicere id sit Atticē dicere.

Qui fuerunt Athenis] in ea enim vrbe eloquentia maximē floruit. Princeps facilē Demosthenes] quis enim eo diuinior, quis perfectior est? in quo virtutes omnes & laudes Oratoris extiterūt: se demittit & attollit quando

quando vult, disputat subtiliter non minus quam Lysias, arguit è magis quam Hyperides, neque lenitate & splendore verborum Aeschyni cedit. Multæ sunt eius (ne à indicio Ciceronis, & verbis discedam) totæ orationes subtile, ut contra Leptinem: multæ & totæ graues, ut quedam Philippicae; multæ variae, ut contra Aeschynem; false legationis, ut contra eundem pro Cresphonte. Iam illud medium quoties vult arripit, & à grauissimo discedens, eo potissimum delabitur. Clamores tamen tum mouet, & tum in dicendo plurimum efficit, cum grauitatis locis uitetur. quem qui imitabatur, Atticè dicet & optime. Propositi ad imitandum] quos imitemur, quoniam ad eloquentia formam, quod sape diximus, vim suam pre ceteris accommodarunt.

Sed cum in eo magnus error esset, quale esset id dicendi genus, putauit mihi tunc piciendum laborem utilem studiosis, mihi quidem non necessarium.

Id dicendi genus] nempe Atticum. quod plerique (ut ante retulimus) gracile, secum, & tenuem solum esse censemant. Utilem studiosis] nam duorum prestantissimorum Oratorum exemplo quale est Atticum dicendi genus facile agnoscunt; simul & rationem ex una in aliam linguam convertendi libros addiscunt.

Convertis enim ex Atticis duorum eloquentissimorum nobilissimas orationes inter se contrarias Aeschynis Demosthenisque: nec converti ut interpres, sed ut Orator, sententiis iisdem, & earum formis tanquam figuris, verbis ad nostram consuetudinem aptis: in quibus non verbum pro verbo necesse habui reddere, sed genus omnium verborum, vimque seruavi. Non enim ea me annumerare Lectori putauit oportere, sed tanquam appendere.

Primum

Primum explicat rationem, quam in veriendo Gracis orationes seruauit: deinde laboris sui fructum ostendit. Nobilissimas longe optimas: ad quas spectatum tota serè Gracia conuenit. Commendat itaque primum orationes; & que ille sint demonstrat. Inter se contrarias] Aeschynis contra Ctesiphontem, & pro Ctesiphonte Demosthenis. Nec conuerti ut interpres] cuius officium est ex una lingua in aliam ita vertere, ut singula verba verbis reddantur, quemadmodum quoque inquit Horatius:

Nec verbum verbo curabis reddere fidus

In arte poetica.

Interpres.

Sed ut Orator] Orare quandoque est petere; unde Oratores dicuntur legati, qui ad petendum aliquid mittuntur: quandoque est causam agere; unde Oratores vocantur, qui in foro causisq; ciuilibus versantur: quandoque Orator eloquentem significat, nimirum copiose & ornatae quavis de re dicentem. atque eloquentia idcirco causarum actorum propria videtur, quoniam ipsi primi orationem exercuerunt & expolinerunt. Itaque ab eloquendo Orator dictus est, Gracè πίττωπ: quāquam hoc nomen apud Latinos magistrum artis oratoria significat. at qui in factis causis ingenium & vires exercēt, neque in aciem prodeunt, a quibusdam declamatores à nonnullis Sophistæ nuncupantur. Ergo ut Orator] qui verborum proprietati, copia & ornatus studet, hoc est, eloquentia. Sententiis iisdem] seruatis iisdem sensis, siquidē in vertendo hoc est in primis animaduertendum, ne sententia vel sensus immutetur. Eorum formis tanquam figuris] quas Grexi vocat οψιματα, quosdam quasi(ut ait Cicero) gestus. Nā quemadmodum verborum, sic etiam rerum sua sunt figuræ.

In Oratore

D

quarum

quarum ad probandum aliae sunt acriores, aliae ad mouendum aptiores; ut preclare Fabius docet. Verbis ad nostram consuetudinem aptis] hoc est à nobis usitatis, & in nostro more loquendi positis. Verbum pro verbo reddere] quod est interpretis, non conuersoris. Genus verborum] liceat mihi dicere qualitatē, quam Græci τοιωτη vocant. Vim] quam Græci δύναμις appellant, ut non minor significat rei vis in Græco, quam in Latino verbo sit. Non enim ea me annumerare lectori putavi oportere, sed tanquam appendere] metaphora sumpta à vendentibus; quorum alijs numerum, alijs pondus earum rerum, quas vendunt, inspiciunt. qui verbum pro verbo redundat, annumerare videntur; at qui sententiārum & verborum genera ac virtutes invertendo servant, ī recte appendere dicuntur. Tanquam] ad emolliendam similitudinem, si durior, & ad explicandam, si obscurior est, commode huiusmodi aduerbia quasi, tanquam, velut, & his similia adhibeuntur. Hic labor meus hoc assequetur, ut nostri homines quid ab illis exigant, qui se Atticos volunt, & ad quam eos quasi formulam dicendi reuocent, intelligent.

Ostendit quem studiosis fructum labor iste allatus sit. Nam intelligent quid sit Atticē dicere, & cognoscere in nouis istis Atticis copiam & ornatum deesse, ac posse illos, immo etiam debere in tenuem dicendi formam & subtilem, non in amplam illam & admirabilem, in qua Græcorum præstantissimi Oratores excellerunt, includi.

Sed exorietur Thucydides: eius enim quidam eloquentiam admirantur. id quidem recte, sed nihil ad eum Oratorem, quem querimus. Aliud est enim

enim explicare res gestas narrando, aliud argumentando criminari, criménue dissoluere; aliud narratione tenere auditorem, aliud concitare.

Excludit modo genus dicendi historicorum, ab ea quam querit eloquentia forma. Quod etiam in Orator re ad Brutum his verbis scripsit: Ecce autem aliqui se Thucydidos esse profitentur, nouum quoddam imperitorum, & inauditum genus. Nam qui Lysiam sequuntur, causidicum quendam sequuntur, non illum quidem amplum atq; grandem, subtilem & elegantem tamen, & qui in forensibus causis possit praeclarè consistere. Thucydides autem res gestas, & bella narrat, & prælia, grauiter sanè & probè, sed nihil ab eo transferri potest ad forensem usum & publicum. Id quidem rectè] nam compositionis studio, & dicendi artificio facile omnes historicos superauit, sincerus & grādis rerum pronuntiatur, habitus historiae pater: qui de bello Peloponnesiaco historiam non minus prudenter & grauiter, quam verè scripsit. Sed nihil ad eum Oratorem, quē quærimus] Oratorem antea diximus interdum eum intellegi, qui quavis de re elegatè loquitur; at verò hic cum Cicero intelligit, qui in foro causisq; ciuilibus versatur, cuiq; propositum est docendo, delectando, mouendo persuadere. Quoniam verò Thucydides semper est densus breuis & instans sibi habens obscuras sententias & abditas, vix ut intelligatur, quod in oratione ciuili maximum vitium esset, nihil ferè ex eo in forensem usum transferri potest. Aliud est enim explicare res gestas narrando] quod est proprium historici. Aliud argumentando criminari, criménue dissoluere] quod est Oratoris in genere Iudiciali: quod duobus officiis constat accusatione & defensione. Porro huius maximè gen-

neris Cicero meminit, quoniam in eo suas vires omnes & laudes eloquentia maxime explicat, & ostentat. Aliud narratione tenere auditorem, aliud concitare] à diuersis officiis dissimilem debere utriusq; orationem esse demonstrat. Vnde Oratoris, quia mouere affectus debet, & rapere in suam sententiam auditorem, granis & vehemens est oratio; historici vero lenis & aquabilis, cui propositum modo est lectorem narratione sua detinere.

At loquitur pulchrè. Num melius quam Plato? Necesse tamen Oratori, quem quaerimus, controversias explicare forenses dicendi genere apto ad docendum, ad delectandum, ad permouendum.

Proponit, quod obiiceretur, Thucydidem pulchre loqui & eleganter, tum à maiori respondet obiectioni. Num melius quam Plato? qui vel acumine differēdi, vel eloquendi facultater reliquorū est magister & princeps: cuius (ut dicunt Graci) sermone, si vellet, Iupiter loqueretur. Sed eius oratio forensi Oratori usui non est. Nam historici & philosophi vel narrando, vel docendo unam formulam orationis sequuntur tenuem & elegantem, non abhorrentem ab ipsarum rerum tractatione: at Orator iste, qui forenses controversias, seu causas explicat, orationis genus adhibere debet aptum ad docendum, ad delectandum, ad permouendum: in quo insit cum breuitate acumen, cum lenitate suavitatis, cum vehementia granitas.

Quare si quis erit, qui Thucydidio genere causas in foro dicturu esse profiteatur, is abhorreat etiam à suspicione eius, quæ versatur in re ciuili & forensi: qui Thucydidem laudauit, ascribat suæ nostram sententiam.

Et si

Etsi Cicero quodam in loco dixit Oratoris munus esse historiam scribere, & nos in eo libello asseruimus, quem De scribenda historia composuimus, quod videlicet omnis cultus orationis aut sit Oratoris, aut ab Oratore petendus; tamen oratio, que rerum gestarum explicationi conuenit, longe à forensi dictione, quam querimus, dissimilis est. Quod si quis (etenim varietas ingeniorum semper scriptorum peperit varietatem, & lectorum) causas forenses historicō dicendi more dictiūrum se profiteat, is etiam remouere à se studeat omnem suspicionem eius dicendi rationis, quae in foro causisq; ciuilibus versatur; & qui Thucydidem laudat, sentiat quoque idem cum Cicerone, nempè historici orationem nihil ad forensem Oratorem pertinere.

Quin ipsum Isocratem, quem diuinus autor Plato suum ferè aequalem admirabiliter in Phædro laudari fecit à Socrate, quemq; omnes docti summum Oratorem esse dixerunt, hunc in numero non repono. Non enim in acie versatur & ferro; quasi rudibus eius eludit oratio.

Non modò Historicorū & Philosophorū, sed etiam Sophistarum orationem differre ab ea forma eloquentiae, quam querit, affirmat: ut minus mirum videatur, si illorum oratio ad perfectam eloquentia formam referri non debeat, cùm istorum non possit, quorum studium in eloquentia totum positum est. Sophistas autē diximus a nonnullis declamatores vocari: declamatores vero eos esse, qui in factis se causis exercent. Est ergo à maiori ad minus argumentum. Ipsum Isocratem] ut potè Sophistarum optimum: quem unum aequalis Plato, & quidem exagitator omnium rhetorum miratur. In Phædro laudari fecit à Socrate] quem,

Platonis locum Cicero sic conuertit in Oratore. Est in extrema pagina Phædri his ipsis verbis loquens Socrates. Adolescens etiam nunc ὁ Phædre Isocrates est. Sed quid de illo augurarer, libet dicere. Quid tandem inquit ille. Maiore mihi ingenio videtur esse, quam ut cum orationibus Lysiae comparetur: præterea ad virtutem, maior indebet: ut minime mirum futurum sit, si cum extate processerit, aut in hoc orationum genere, cui nunc studet, tantum quantum pueris, reliquis præstet omnibus, qui vñquam orationes attigerunt: aut si contentus his non fuerit, diuino aliquo animi motu maiora cōcupiscat. Inest enim natura philosophia in huius viri Lib. x. cap. i. mente quadam. De Isocrate etiam Fabius ingeniorum acutissimus & præstantissimus index hæc scribit: Isocrates in diverso genere dicendi nitidus & comptus, & palestra quam pugna magis accommodatus, omnes dicendi Veneres sectatus est, nec immerito, auditoriis enim se, non iudicis comparat, in inuestione facilis, honesti studiosus, in compositione adeò diligens, ut cura eius reprehendatur. Hæc Fabius. Et de Isocratis ludo præstantissimi in omni genere studiorum, quasi ex equo Troiano innumeri principes exisse dicuntur. Cuius gloria permotus Aristoteles cepit artem dicendi proficer, iactans versum illum ex Philoceta Sophoclis tragedia deflexo sensu,

ἀττιχὸν στρῶτον, τὸ πονηράτων ἐᾶν λέγειν.

Non in acie versatur & ferro graniores causas non egit, neque in foro magnas causas tractauit: unde corona, velut ab Olympiis, petitur, assensus inquam & approbatio audientium: sed intra parietes se continuuit dictus ἀττιχόπολις, quoniam voce impeditus esset. Quasi rudibus eius eludit oratio] quod Fabius dixit, palestra,

stra, quam pugna magis accommodata. Rudes baculi sunt, quibus exercitationis gratia inter se certabant gladiatores. Vnde ad magni Oratoris nomen grauitas & vehementia requiritur, que audientes in admirationem traducit.

A me autem (ut cum maximis minima conferam) gladiatorum pars nobilissimum inducitur; Æschynes tanquam Æserinus, ut ait Lucilius,

—non spurcus homo, sed doctus & acer

Cum Pacidiano hic componitur optimū longè
Post homines natos.

Nihil enim illo Oratore arbitror cogitari posse diuinius.

Æschynem & Demosthenem verè Oratores, non sophistas, quod grauissimas causas in foro agerent, atq[ue] in acie versarentur & ferro, ne à proposita metaphora discederet, gladiatores vocauit: atque alterum Æserino docto & acri, alterum Pacidiano omniū mortalium optimo, qui sunt apud Lucilium, similem facit. De quibus hac etiam Fabius. Oratorum longè princeps Demosthenes ac penē lex orandi, tanta vis in eo; tum densa omnia, ita quibusdam nervis intenta sunt; tum nihil otiosum: is dicendi modus, ut nec quid desit in eo, nec quid redundet, inuenias. Plenior Æschynes, & magis fuscus, & grandiori similis, quo minus strictus est; carnis tamen plus habet, lacertorū minus. Æserinus cum Pacidiano in proverbiū abiit pro pugna equali, cui simile illud est, Bithus cum Bacchio. Horum carminum Lucilij, qua libro quarto Satyrarum habentur, meminit etiam Cicero Tuscul. 11. & in Bruto.

Huic labori nostro duo genera reprehensorum
opponuntur: Vnum hoc, verū melius Græcè: &

D 4 quid

Lib. 10. cap. 1

quid possint ipsi melius Latinè: alterum, Quid istas potius legam, quam Græcas? Idem Andriam & Synephœbos, nec minus Terentium & Cæciliū, quam Menandrum legunt; nec Andromacham, aut Antiopam, aut Epigonos Latinos recipient, sed tamen Ennium, & Pacuvium, & Accium potius, quam Euripedem, & Sophoclem legunt. Quod igitur est eorum in orationibus à Graco conuersis fastidium, nullum cùm sit in versibus?

Occurrit duobus reprehensorum generibus. Primum quod obiicitur est, nō aquæ bene scriptas esse Latinè. cui satis habet respondere, illos certè melius Latinè nō posse. Alterum, potius legendas esse Græcas; ad quod inquit à pari non debere in orationibus è Graco conuersis fastidium ullum esse, cùm nullum sit in versibus. Quod probat exemplis. Eandem sententiam lib. 1. De finibus bonorum & malorum legimus contra eosdem reprehensores. Verba sunt hec: His igitur est difficilior satisfacere, qui se Latina scripta dicunt contemnere: in quibus hoc primum est, in quo admirer, cur in grauissimis rebus non deleat et eos patrius sermo, cùm iudicem fabellas Latinas ad verbum de Gracis expressas non inuiti legant. Quis enim tam inimicus penè nomini Romano est, qui Ennius Medeam, aut Antiopam Pacuvium sierat, aut reuiciat? qui se iisdem Euripidis fabulis deleteri dicat, Latinas litteras oderit. Synephœbos ego (inquit) potius Cæcilius, aut Andrius Terentius, quam utramque Menandi legam. A quibus tantum dissensio, vt cùm Sophocles vel optimè scripsisset Eleæram, tamen male conuersam Attilius mihi legendam putem: de quo Licinius Ferreum scriptorem, verum, opinor, scriptorem tamen, vt legendus sit. Rudem enim esse in nostris

*stris Poëtis aut inertissima segnitia est, aut fastidij de-
licatissimi.*

Sed aggrediamur iam quod suscepimus, si prius exposuerimus, quæ causa in iudicium deducta sit.

*Quo melius orationes intellegentur, questionem,
in qua versantur, paucis explicuit, illarum inquam
argumentum. Causa] controversia, sine quæstio.*

Cùm esset lex Athenis, ne quis populi scitum fa-
ceret, vt quisquam corona donaretur in magistra-
tu, priusquam rationes retulisset; & altera lex eos, qui à populo donarentur, in concione donari debe-
re: quia in senatu Demosthenes curator muris re-
ficiendis fuit, eosque refecit pecunia sua: de hoc
igitur Ctesiphon scitum fecit, nullis ab ipso ratio-
nibus relatis, vt corona aurea donaretur, eaqué
donatio fieret in theatro populo conuocato, qui lo-
cus non est concionis legitimæ: atque ita prædica-
retur, eum donari virtutis ergo, benevolentiaeque
quam erga populum Atheniensem haberet.

*Hoc ipsum argumentum fusius tractat Libanius.
nos paucis euoluamus. Vt Philippus Alexætri Magni
pater rex Macedonum vicit Thebanis illorum vrbis
præsidium imposuit, Athenienses, qui in eodem bello
Thebanorum sœci fuerant, à rege sibi metuentes, vrbis
mœnia, quæ multis in locis labefactata erant, reficienda
decreuerunt. Cui operi decem ex unaquaque tribu ele-
eti sunt: quorum unus fuit Demosthenes è tribu Pan-
dionis; qui non modò operam suam præstítit, sed etiam
priuatam pecuniam in reficiendis patria muris impen-
dit. Quamobrem Ctesiphon unus ex his, qui Remp. ad-
ministrabant, retulit sententiam ad senatum de do-
nando Demosthene ob tale beneficium à senatu & pa-*

pulo aurea corona in Dionysij theatro: qui maximus honor apud Athenienses benemeritis ciuibus dabatur. Itaque in Dionysij Theatro aurea corona Demosthenes donatus est acclamatae pracone, ὅτι σεφανοὶ δημοσθένων δημοσθένους πανεύεα ἡ τόλις ἀρετῆς συμπάντος ἔνεα, καὶ εὐνοῖς τῆς πρὸς αὐτὸν. Quod cum factum esset contra leges, occasionem Aeschyni obtulit accusandi Ctesiphontem, & eius nomine in iudicium facta & famam Demosthenis vocandi. Priusquam rationes retulisset] administratae rei. Hæc vna lex erat, qua prohibebat neg^o populi scitum fieri, neque donari corona quemquam posse, qui cuiquam rei praefectus esset; si non rationes illius rei prius retulisset. Demosthenes autem non relatis rationibus plebiscito à Ctesiphonte facto corona donatus est. Qui à populo donarentur, in concione donari debere] Senatus, si donare aliquem corona voluisset, alio in loco, præterquam in curia, donare non poterat: nec populus nisi in curia, seu consilij loco, quem^o vnuū Graci vocant. Erat & tertia lex, qua iubebat totam illius vitam inspici, & uniuersam Reip. administrationem, ut acta publica, qua in Matroum (quo in loco Phrygiae Dea sacro acta publica continebantur) inferrentur, rectè scripta essent, ac nullius falsitatis argui possent. Nullis ab ipso rationibus relatis] id quod lex prima prohibebat. In theatro] Dionysij, sive Liberi patris, aut Bacchi: quo in loco tragœdia, que à Bacchi victoriis principium duxere, agebantur. Populo conuocato] qui conuentus τετρινups dicebatur. Qui locus non est concionis legitimæ] consilij locus. Legitima verò donationis huiusmodi loca secundum alteram legem erant pro senatu curia, pro populo concio. Contra tertiam legem erat illud, quod postmodum dicitur: quoniam

quoniam Demosthenes nec vir bonus esset, nec benemeritus de ciuitate.

Hunc igitur Ctesiphontem in iudicium adduxit Æschynes, quod contra leges scripsisset. Ut & rationibus non relatis corona donaretur; & in theatro; & quod de virtute eius & benevolentia falsa scripsisset; quoniam Demosthenes nec vir bonus esset, nec benemeritus de ciuitate.

Volebatq; Æschynes ut Demosthenes eodem ordine responderet, ac primum de rationibus non relatis, tum de loco, postremo de gestis à se rebus diceret. Verum Demosthenes ab eo, quod erat firmissimum, cœpit; ac primum de sua in patriam benevolentia, rebusque à se gestis differuit, tum de rationibus, postremo de loco: ac post ad benevolentiam suam erga patriam, & merita rediit: in qua benevolentia totius causæ maximum firmamentum collocauerat.

Causa ipsa abhorret illa quidem à formula consuetudinis nostræ; sed est magna. Habet enim & legum interpretationem satis acutam in utramque partem, & meritorum in Remp. contentionem fâne grauem.

Consuetudinis nostræ] quoniam Romani in huiusmodi contentionibus & causis minimè versabantur. Status autem, in quo versatur causa, est qualitatis, seu negotialis. Agitur de legibus, de scripto & voluntate, ac disputatur in utramq; partem: atque agitur de meritis in Remp. que potissimum qualitate cernuntur. Interpretationem satis acutam] acumen esse debet interpretationis, contentionis granitas.

Itaque causa fuit Æschyni, quoniam ipse à Demosthene esset capitis accusatus, quod legationem ementitus

ementitus esset, ut vlciscendi inimici causa nomine Ctesiphontis iudicium fieret de factis famaque Demosthenis.

Causa, qua Aeschynem induxit in hanc accusacionem, fuit, ut Demosthenem vlcisceretur, à quo prius ipse falsa legationis accusatus fuisset. Nam rebus cum Philippo male gestis circa Amphipolim, Athenienses ad postulandum à rege pacem decem legatos miserunt: pactisq; induciis ad ineundum fœdus eisdem remiserunt; inter quos fuerunt Aeschynes & Demosthenes. Demosthenes verò postea Aeschynem falsa legationis accusauit, obiciens quod Philocrati turpes & inutiles pacis conditiones ferenti subscriptisset; quod statutum tempus inaniter contriuisset, unde multa Philippus in Thracia occupauit; quod ad Senatum falsa renuntias- set. qua res erat omnino capitalis.

Non enim tam multa dixit de rationibus non relatis, quam de eo, quod ciuis improbus, ut optimus, laudatus esset.

Iudicium nomine quidem sit Ctesiphontis, sed re vera de factis famaq; Demosthenis. Vnde satis queritur in principio ferè orationis sue Demosthenes, quod iudicium videatur contra Ctesiphontem institutum, sed de sua fama, virtute, & vita fiat.

Hanc multam Aeschynes à Ctesiphonte petiit quadriennio ante Philippi Macedonis mortem: sed iudicium factum est aliquot annis post, Alexandre Asiam tenente.

Notatur tempus quo Aeschynes petiit Ctesiphonti multam, qua erat quinquaginta talentorum, irrogari; Quadriennio ante Philippi Macedonis mortem] qui à Pausania nobili gine Macedone (ut refert Iusti- nus)

vix) imperfectus fuit; sed quod indicū factū est Alexander iam Asiam tenente] victo Persarum rege Dario.

Ad quod iudicium concursus dicitur è tota Græcia factus esse.

Quæ ad sacra Dionysia conueniens donari aurea corona Demosthenem in theatro viderat.

Quid enim aut tam visendum, aut audiendum fuit, quām summorum Oratorum in grauissima causa accurata, & inimiciis accensa contentio?

Sed Æschynes suffragiis destitutus, vt quidam volunt, in exilium missus fuit; vt alij confirmant, Rhodum sibi sponte de legit: ubi cùm Demosthenis orationem contra se habitam legisset, miratibus cunctis, quid si illam, inquit, bestiam audissetis?


Quorum ego orationes si, vt spero, ita expressero virtutibus vtens illorum omnibus, id est, sententiis, & earum figuris, & rerum ordine, verba per sequens eatenus, vt ea non abhorreant à more nostro (quæ si è Græcis omnia conuersa non erunt, tamen vt generis eiusdem sit elaborauimus) erit regula, ad quam eorum dirigantur orationes, qui Atticè volunt dicere.

Concludit has orationes, si rectè, vt sperat, expresse rit, fore his qui Atticè volunt dicere, tanquam regulam sine normam, ad quam orationem suam dirigant, cuius rei gratia laborem hunc conuertendi suscepisse se antea testatus est. Rationem verò, quam in conuertendo tenuit, etiam antè monstrauit. Non verbū verbo reddidit, sed eūdem ordinē rerū seruauit, sententiisq; iisdē vsus est, & sententiarii figuris, verbis verò in Romano sermone positis, atq; vñstatis, eadēm q; ferè vim & significationē cū Græcis habētib; Unde prima conuersoris cura esse debet, vt sententias


sententia rite explicet, illarumq; vim & ornatum accuratè aperiat, tum ut verba sint Latina & usitata, modusq; dicendi consuetus & proprius. Quod faciet, si non ea se interpretis lege astrinxerit, ut habeat verbum verbo reddere.

Sed de nobis satis: aliquando enim Aeschynem ipsum Latinè dicentem audiamus.

*Quas orationes è Graco à Cicerone conuersas D. Hieronymus se vidisse affirmat; sed eas nobis ut permultas res alias præclaras iniqtitas temporum cri-
puit.*



w/R quatuor ventos



ANTVERPIAE
EXCVDEBAT CHRISTOPHO-
RVS PLANTINVS, ARCHI-
TYPOGRAPHVS REGIVS,
ANNO CIQ. IQ. LXXXI.
MENSE IVNIO.



B. M. Bod. Lib. Ms. Sloane





